LEBRECHTI GVILIELMI HENRICI HEYDENREICHII,

J.V.D. ET CONSILIARII SCHWARTZBVRGICI

SVCCINCTA EXPOSITIO *DE* ALIENATIONE FEVDORVM, QVAE FIT ABSQVE DOMINI DIRECTI, AGNATORVM, ET IN SAXONIA SIMVLTANEE INVESTITORVM CONSENSV

OLIM LOCO DISSERTATIONIS

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PVBLICE VENTILATA,

NVNC VERO

REVISA, ET VARIIS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRATA, MAXIMEQVE AVCTIOR EDITA.

LIPSIAE ANNO MDCCXXXI.
SVMTIBVS AC LITERIS SHEDIANIS.



PRÆFATIO.

Cum emenso olim cursu academico, temporis haud male collocati publicum aliquod specimen edere meditarer, studio juris feudalis ductus, jura vasallorum, sine seniorum consensu, dissertatione publica, præside Dn. Georgio Adolpho Schuberto *jurium Doctore, & professore quondam in academia Lipsiensi celeberrimo, examini eruditorum submittere non dubitavi. Vix autem publicam ea adspexerat lucem, varia de illa ferebantur judicia, quorum alia succinctam & brevem nimis respiciebant explicationem, alia, inusitata quædam, atque Germaniæ foro non recepta, ex solo amore receptæ hypotheseos in ea asserta esse, contendebant. Equidem imputandum mihi foret, & si primum respicias, haud indigne in talem censuram revocatam fuisse dissertationem hancce, quod thema hoc, libri potius integri, quam dissertationis formam requirens, paucis pagellis incluserim, maxime enim diffusam alienandi materiam esse, nemo non noscit, qui paululum saltem oceanum feudalis juris intravit; Verum, cum tunc temporis saltem potiora capita facultatis alienandi & disponendi circa beneficia, propositurus, ulteriorem atque exactiorem, quam disputationis limites non capiebant, explanationem mihi reservaverim ad tempora, quæ benignissimum numen mihi concessurum erat, primitias illas ingenii mei non meruisse rigidiorem censuram puto. Utcunque autem se res habeat, præsens hic labor defectum hunc supplet, idque, quod judicii tui, ut putas, æquissima lanx desideravit, in prolixiori atque accuratiori explicatione exhibet. In qua simul observabis, nihil a me positum, ni-*

hil a me temere assertum, quod non ex solidiori dispositione juris feudalis demonstratum, atque fori usu se commendet. Non solum vero ea, quæ inscio atque invito domino directo, circa feuda vasallis sunt licita, sed & ea quoque nunc adjeci, quæ competunt feudi possessoribus citra agnatorum & simultanee investitorum consensum, ob connexitatem, & cohærentiam cum prioribus, haud negligenda. Constat enim, feuda sæpius posse alienari, inconsulto domino, non neglecto tamen consensu agnatorum, vicissim quandoque validam esse in præjudicium agnatorum & simultanee investitorum alienationem, iis non consentientibus, quæ tamen, si dominum directum respicias, prorsus invalida. Rursum quædam alienationes validitatem suam nanciscuntur, quibus nulla, neque domini, neque agnatorum, aut simultanee investitorum accessit ratihabitio, aut consensus, quæ omnia nexu quasi naturali inter se cohærere, atque partim ex fontibus longobardici juris, partim ex consuetudine, & indole feudorum Germaniæ profluxisse, demonstrare annisus sum. Non dubito fore, quin accessuri sint conamini meo adstipulatores, quibus cum maxime oculis obversatur frequens disceptatio illorum, qui in forum prodiere, vasallorum causas contra dominum directum, ad privationem feudi agere volentem, & contra agnatos, simultaneeque investitos retractus & protimiseos jure usuros, multo cum labore defendunt, quo ipso simul insignis ille abusus argumenti ab usufructuariorum conditione ad beneficiorum possessores ducti, detegitur. Monuisse hæc sufficiant. Tu autem, optime Deus, largos laboribus meis da successus, ut longe lateque gloria tua in æternum duratura promulgetur.

CAP.



CAPUT I.

DE ALIENATIONE FEUDORUM IN GENERE.

§. I.



Um ex notione verborum ipsius rei cognitio utplurimum petenda sit, haud incommode, & non sine fructu, in alienationis vocabuli indole pernoscenda, paucis solliciti erimus, deinde significatus diversitate considerata, usum ejusdem practicum, tum in universum, tum speciatim, quoad feudorum materiam demonstraturi sumus. Derivatur autem alienationis vocabulum ab *alienum*, hoc vero ab *alieno* i. e. ab illo, quod ad alium pertinet, ut sc. denotet, facere quid alienum, germanice commode exprimitur per voces, verfremden, veräussern, verändern, de quibus prolixius agit WEHNER *Obs. Pract. pr. voc. alleg.* verfremden, veräussern. Triplicem vero vocis hujus sensum esse deprehendimus, quorum alius tam generalis est, ut quamlibet dominii & juris in re translationem, immo & eorum, quæ nobis adhuc plene nondum acquisita sunt, translationem indicet. Ita v. g. emtione licet perfecta, dominium rei emtæ non transit ad emtorem, pretium nisi fuerit solutum, & quam-

Definitio nominis Etymologia alienationis.

Homonymia.

Alienatio in sensu generali quid denotet?

quamvis hoc casu emtor nondum sit dominus, obligationem nihilominus, qua venditorem, intuitu rei, devinctum habet, valde in alterum transfert, ita tamen, ut alter primum venditorem neque reali, neque personali actione pulsare queat, sed contra illum saltem, a quo causam immediate habet, agere debeat, sufficiatque, ut jus aliquod, & obligatio translata, dominium licet non fuerit transmissum *vid. leg. 25. de V. S.* Immo simplex sufficit promissio *l. f. C. ad leg. Falcid.* Testantur de significatu alienationis generaliori *l. fin. Cod. de reb. alien. non alienand. L. 1. Cod. de fundo dotal.* SPEIDEL. *Spec. hist. polit. voc.* Veräussern. In sensu specialiori alienatio translationem dominii, reliquis juris in re speciebus contradistincti, saltem indigitat, id quod emtione venditione, donatione, permutatione, maxime si traditio accesserit, fieri intelligitur *L. 67. π. de contrah. emt. vendit. L. 67. de V. S.* & majoris praejudicii, quam simplex emtio venditio, ex eo esse, intelligitur, quod, qui vendidit rem, dominium rei non amisit, cum contra is, qui alienavit, omni dominii jure se abdixerit. *Vid.* GOTOFRED. *ad L. 67. de V. S.* Denique alienationis nomine nonnunquam venit sola emtio venditio *L. 3. & tot. lib. Cod. de decurion. praed. fin. decret. non alienand.* quorum significatuum usum practicum sequentia docebunt.

In specialiori?

In sensu specialissimo?

§. II.

Alienandi facultas est effectus dominii.

Constat inter omnes juris naturalis cultores, dominii effectum, aut aliquem spectantis, maxime naturalem esse, ut quis rerum suarum liber dicatur esse moderator, atque arbiter *L. 21. C. Mandati* ut de iisdem inter vivos pariter, ac mortis causa, libere disponere possit, cum nihil tam conveniens sit aequitati naturali, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alterum transferre, ratam haberi *L. 9. §. 3. π. de acquir. rer. domin. L. 2. π. si a par. quis manum.* quod tamen de dominio pleno regulariter intelligendum, a dominio enim minus pleno non validum semper est consecutionis filum ad facultatem alienandi, cujus rei exemplum est in marito, intuitu bonorum in dotem acceptorum *pr. Instit. quib. alienare licet vel non.* Huc etiam pertinet *l. 15. π. de Usufructu*, quo integro dominio ad imponendam servitutem quis esse innuitur. Immo & pleni dominii effectus, naturali jure com-

competens, quandoque restrictus deprehenditur legibus, vel pactis, nec non testamentis MÆVIUS *ad Jus Lubec. L. 1. Tit. X. L. 1. Tit. II. art. 5. n. 4. seqv.*

§. III.

Legibus & pactis restricta, vel ademta potius est facultas disponendi in feudis.

Naturalem disponendi de rebus suis facultatem, legibus & pactis, variis ex causis restrictam, vel ademtam potius observamus, in feudis. Quamvis enim antiquissimis temporibus alienatio eorundem certis casibus, quos *illustr.* THOMASIUS *disput. de causis prohibit. feud. alienationis §. X. seqv.* refert, fuisset permissa, *I Feud. 5. vers. aut si libell. 1 Feud. 13. 2 Feud. 9. pr. & §. 1. 2 Feud. 44.* hæc tamen alienandi potestas, maxime cum vasalli ea abuterentur, postea imperatorum LOTHARII & FRIDERICI legibus, & constitutionibus penitus abrogata fuit, ut nequidem longissima præscriptione convalidari queat. *2 Feud. 40. & 55.* quin & FRIDERICUS imperator alleg. textu *II Feud. 55.* scribam, & notarium, scientes super alienatione feudi, instrumentum conficientem, infamia notari, ab officio removeri, & manus amputatione plecti jussit *add.* GOTOFRED. *in not. ad d. cap. 55.* Rationes prohibitæ feudi alienationis si exquiras, maxime sunt sequentes. Personæ industria erant electæ, & vasalli in persona olim servire tenebantur, quorum servitiorum intuitu, ipsis salarii nomine, ususfructus certorum prædiorum assignabatur, quæ cum jure præcarii possiderentur, inde beneficia dicta, & ad patrimonium domini potius, quam vasalli relata sunt. HORN. *Jur. feud. Cap. XV. §. 1.* Paria, & fere eadem vasallorum & reipublicæ ministrorum erant jura. Ducum & Marchionum, comitum & baronum nomina, indigitabant officia personalissima, solamque in certis provinciis, ad regem pertinentibus, involvebant imperatorum jussu suscipiendam justitiæ administrationem, quæ ad hæredes eorum haud spectabat, de quibus MUNSTERUS scriptor rerum Germanicarum scientissimus in *Cosmographia:* Bey Zeiten Ludovici III. welcher 903 regieret, und vor derselben Zeit, seyn Hertzoge, Marggrafen, Pfaltzgrafen und Ritter, nur Nahmen der Aemter gewesen, die Hertzogthum waren nicht der Hertzoge und Grafen, sondern des Reichs, Königs und Käysers. nec non HULD. AB EYBEN *in El. jur. feud. ex* DOUSA *p. m. 754.*

Causæ prohibitæ feudi alienationis.

Cave,

Cave, existimes, inquit, *eam comitum dignationem fuisse antiquitus, quam secutis postea temporibus iidem illi armorum sibi virtute peperere. Siquidem tunc, non nisi potestate temporaria, neque sua vi nixi, alieno remigio rem gerentes, ex lubidine principum huc illuc agitabantur, ut quorum alii ordinariorum modo judicum partes ac munia fungerentur, causarum cognitionibus præessent, denique prætorum ritu, litigantibus jus redderent: alii finium custodiam agitarent, inibique regis sui nomine præsiderent, momentaneam semper ac motoriam exercentes jurisdictionem, quæque ad hæredes porro suos non transiret, nunc in hunc, nunc in alium pro re nata & tempore transferri itendidem ac transscribi consueta.* Ita & celeberrimi nominis Italus GIOV. FRANC. CAPIBLANCO *Tractat. de jur. & off. Bar. in Vas. burg. in proem. n. 56. Barones perpetui officiales & regis consiliarii dicuntur, qui regem consilio juvare tenentur, eos offendens, regios ministros offendere dicitur & d. l. in Pragm. S. III. n. 19. Barones suorum vasallorum ordinarii judices dicuntur &c. add.* KNICHEN *de sublimi territor. jure Cap. IV, p. 209.* LEHMANN. *Chron. Spir. L. 2. cap. 16.* BARTHOL. a CHASSANEO *ad Consuet. ducal. Burg. rubr. III. in pr. n. 15.* HERT. *Notit. regn. Franc. vet. Cap. V. §. 21.* BECK. *Disput. de primæva feud. indole, idem de caus. mut. feudor. jur.* STRUV. *Syntagm. jur. publ. Cap. XIX. §. 3.* ubi refert exemplum THASSILONIS Bavariæ Ducis, qui aliquoties ad Carolum imperatorem evocatus, provinciæ suæ ulterius præesse prohibebatur, ea comitibus ad regendum commissa. Accipiebant notante *Illustr.* DN. DE LUDWIG *in formul. Ducatus Brandenburg. §. 8.* adhuc medii ævi temporibus clientes, quos vasallos dicimus, a dominis pro investituræ symbolo, vestem, colore tinctam, qui respondebat pigmentis insignium domino solemnium, die Hof-Liverey, das Vasallen-Kleid, ex quo investitura nomen traxit. Ita enim refert ex scriptoribus rerum Mecklenburgensium: Die Fürsten der Wenden seyn Brandenburgische Vasallen gewesen, haben Brandenburgl. Liverey getragen, wenn sie zu Hofe, oder sonst in ihrem Dienste erschienen. Dergleichen Röcke hat man in Mecklenburg auch lange hernach zum Gedächtniß aufbehalten. Ex quibus adparet, quod quemadmodum nostris præsertim moribus omni jure illicitum, ac sane absurdum est, ut principis ministro offi-

officium sibi demandatum, juxta cum assignato salario, absque principis ratihabitione in alium, pro voluntate transferre, tantum quoque abesse videatur, ut vasallo feudum, a Domino officii nomine concessum, absque ejus voluntate libere alienare liceret, cum persona industria electa, officiumque personæ intuita, concessum sit *I. Feud. 1. §. 1.* BECK. 60.

§. IV.

Quin immo, cum pedetentim, insequentibus, præsertim sub ultimo carolinginei stemmatis imperatorum temporibus, mutatio hac in parte contingeret, feudaque sensim hæreditaria fierent, causæ prohibitæ feudi alienationis sunt in aprico. Interest enim domino, ne alienationibus, a vasallis temere susceptis, jure suo excidat. Ipse imperator *II. Feud. 55.* rationes addit, quod ejusmodi alienationibus vasalli reddebantur inidonei, pretia consumendo, ad servitia præstanda, imperii vires attenuabantur, dum proceres imperii milites suos, omnibus beneficiis exutos ad expeditionem Romanam traducere non poterant. Hinc alienandi facultas dicta constitutione in totum reprobata, adeo ut de facto intentata annulletur, feudumque domino aperiatur. Quatenus autem liberum aliquod adhuc disponendi arbitrium circa feudum vasallis relictum sit, sequentibus demonstrabitur.

§. V.

An dispositio juris Longobardici de prohibita feudi alienatione in Germania unquam recepta?

Ante vero, quam ulterius progrediamur, quæstio hæc tanquam præjudicialis prius expedienda erit, an dispositio juris Longobardici, de prohibita feudi alienatione in Germania unquam recepta fuerit, de qua & ITTERUS *de feud. Imp. Cap. XXIII. §. IV.* agit. Videtur nimirum 1) legibus feudorum Germaniæ ante existentiam juris Longobardici dudum conditis, per Longobardicum jus non expresse derogatum, neque 2) jus hoc ad Germanos, sed Italos saltem pertinere, quemadmodum 3) & ZASIUS ab ITTERO *l. c.* allegatus, queritur, constitutiones Imperatorum, de interdicta feudorum alienatione, male servari. Notat & 4) MICHAELIS *resp. Kilon.* 14. p. 130, allegatas constitutiones Imperatorum LOTHARII & FRIDERICI in observantiam nunquam deductas, immo & 5) tales alienationes in judicio camerali confirmatas, & pro validis agnitas fuisse &c. Verum enim vero, & feuda Germaniæ, omni tempore fuisse inalienabilia, testantur jura feudalia Saxonica pariter

ac Alemannica. Ita compilator Saxonici juris feudalis *cap. 58* refert, *peccare illum contra Dominum feudi, & fidem promissam, qui feudum tempore fugæ, vel morbi alii, etiam sub conditione restituendi tradit, quare Vasallus a Domino, sub pœna amissionis, admoneri possit, ut res alienatas, intra sex septimanas recuperet.* Non minus *jus feudale Alemannicum oppignorationes vasallorum, inscio invitoque domino factas irritas atque invalidas pronunciat, nisi creditor per annum & diem, non interpellatus possederit pignus. Jus feud. alem. Cap. 26. &* SCHILTER *ad d. l.* facile hinc est ad contrarias rationes respondendum, non quidem a Longobardis ad Germanos derivatam esse legem, de inalienabilitate feudorum, sed illam potius semper ante obtinuisse, nec non per sanctiones feudorum Longobardicas in Germania postea receptas, magis magisque corroboratam esse. Deinde quod reliqua concernit, doctores citati haud dubie de vasallis majoribus, Electoribus, principibusque imperii loquuntur, quorum actiones per omnia ad normam Longobardici juris judicari non possunt haud vero de minoribus. Illi particulas territorii hactenus etiam sine cæsareæ majestatis autoritate alienarunt atque pignoris juri subjecerunt. Vid. infra Cap. VII.

§. VI.

Definitio realis, quid sit alienatio feudi?

Est autem feudi alienatio omnis actus, quo jus reale, Vasallo in feudo competens, in alium vel in totum, vel pro parte transfertur, quæ si absque consensu domini subsistere debeat, sua, quod ajunt, sponte consequitur, hic alienationes illas non venire explicandas, quæ ab initio nullæ, ex post facto convalescunt, quando nimirum alienationi jamjam factæ consensus domini aliorumque, quorum interest, accesserit. LYNCKER *Res. 237.* illeque vel expressus, feudi alienationem expresse adprobans. Dn. WERNHER *P. III. obs. 151. p. 447.* vel tacitus, si feudi dominus præsens, sciensque feudum alienatum esse, vel alienari, injuriam condonaverit, non pronunciando legem commissi, permiserit, ut Vasallus feudum revocaret, & conferendo investituram, vel rogatus ad consentiendum, cum Vasallus feudum alienat, dissensum non declaraverit, neque contradixerit, cum tamen actum contradicendo impedire potuisset. *arg. l. 63. π. de re judic. arg. l. 32. π. de leg.* SCHRADER *de feud. P. VII. Cap. 2. n. 16. 17.* HORN. *Jur. Feud. Cap. XII. §. 2.* SCHVRFF *Cons. Cent. I. Cons. 41. n. 3.* LVDWELL. *de success. feud.*

Quibus casibus alienatio ab initio nulla & post facto convalescat?

feud. C. V. p.313.314. VULTEJ. *de feud. L. I. Cap.X. n.84.* MASCARD. *de Probat. Concl. 47. n.32.* quamvis ex sola domini scientia, si præsertim absens fuerit, consensus in alienationem haud statim colligendus sit. LYNCKER. *Resp. II. n.121.* LUDWELL. *de success. feud. Cap. V. p.315.* Præsumitur non minus ex lapsu temporis, consensus domini, quando nimirum præscriptione jure suo excluditur, eaque vel decem annorum, ut putat WESENBEC. *de feud. Cap. XI.* vel rectius triginta annorum, STRYK. *Exam. jur. feud. Cap. XI. qu. 23.* SCHRADER. *P. V C. IV. n.10.* STRUV. *Jur. Feud. Cap. XIII. th.10. n. 4.* VULTEJ. *L. I. C.X. n.57.* Neque hic in censum veniunt fructus feudi, & meliorationes feudales, quæ ad hæredes allodiales pertinent, & per consequens dispositioni Vasallorum subjacent, excepta tamen Saxonia, quod has attinet. *Vid. disput. meam inauguralem de Prærogat. port. statut. præ legit. ejusque computat. ex bon. feudal. noviter acquisitis* §. 20. Sed illam potius feudi alienationem consideramus, ad quam rite & valide suscipiendam ne quidem domini, agnatorum, & simultanee investitorum adsensus de necessitate a Vasallo adhibendus, sed ejus alienatio, tanquam alius juris in re allodialis, neglecta etiam alterius cujusdam approbatione, ipso jure & facto suam nanciscitur validitatem.

CAPUT II.
DE
FEUDIS EX PACTIS CUM DOMINO, AGNATIS ET SIMULTANEE INVESTITIS ALIENABILIBUS.

§. I.

VAria ratione Vasallis competit facultas alienandi feuda, sine seniorum consensu, vel enim pacta investituræ specialia alienandi largiuntur licentiam. Quandoque privilegia toti regioni concessa, vel etiam consuetudo illam permittunt, non minus ipsorum feudorum qualitas hanc specialiter inducit. De quibus singulis separatim agendum erit. Primo se nobis offerunt feuda ex pacto cum domino directo alienabilia, talia enim pacta, cum in alienabilitas feudi e numero naturalium sit, quæ conventionibus partium libere mutantur, & circumscribuntur, iniri posse, quilibet facile perspicit *arg. 1. Feud. 14.* GAIL.

Prima investiturae pacta cum domino, alienandi facul-

tatem quandoque indulgent.

GAIL. *L.2.obs.50.n.15.* cum pacta contractui & negotio formam constituant *L.23.π de A. I.* feudumque efficiant improprium. Ita enim habet textus *2.Feud.48. si quis ea lege alicui feudum dederit, ut ipse & sui heredes, & cui ipse dederit, habeant, respondeo, iste, qui sic accepit, poterit id vendere vel donare, vel aliter si sibi placuerit, etiam sine voluntate domini alienare, & ille etiam cui datum fuerit, non habebit ipsum pro feudo, nisi sicut ei datum est &c.* Quamquam vero concessione hac generali investiturarum pactis obtenta, absque novo domini consensu ad alienationem deveniri queat; pacta tamen hæc diminutionem quippe jurium, domino directo competentium, inferentia, strictissimæ sunt interpretationis, & clarissimam literarum investituræ requirunt demonstrationem, ut proinde Vasallus feudum alienabile possidens, illud in fœminam, aliamque personam inhabilem, nisi sub clausula, *in quemcunque* concessum fuerit, transferre non possit. Dissert. Dn. WERNHER. *P. VIII. obs. 467.* Nec minus si appareat, dominum sub tali forma feudum concedentem, certam Vasalli & descendentium respexisse personam, tunc facultas alienandi evanescit, facta semel alienatione, neque ad tertium, aliosque feudi possessores, nisi dominus directus hos quoque cum feudo simul de alienandi potestate investiverit, transit, tunc enim & hic, quasi ex nova concessione eam obtinuisse credendus est. Quemadmodum, si quasdam alienationis species saltem indulserit, v. g. oppignorationem ex causa feudi necessaria, vel alia, id ad omnes alienationes extendere velle, primæ ipsius intentioni plane foret contrarium. LUDWELL. *de success. feud. C. V. p.m.301.302.* Dn. LYNCKER. *Resol. 251.* HOM. *Jur. Feud. Cap. XIV. §. 4.* Concessa autem alienatione in pactis investituræ generaliter, illa ad solam venditionem, cum alienationis vocabulo, uti supra notatum, & testamenti factio, aliaque mortis causa dispositio comprehendatur, *L.8.§.2. Cod. de sec. nupt. L.29. §.1. π. de statu lib. L. 28. pr. π. de V. S.* restringi non potest. Dissentit HOM. *Jur. Feud. Cap. XIV. §. IV.* THOMAS. *de feudo alienab. §. 26. 28.*

Pacta hæc sunt strictissima interpretationis.

In dubio pactum pro reali habetur.

Quod si investiturarum literæ tanta laborent obscuritate, ut dubium incertumque sit, personæ Vasalli, feudum tale acquirienti, an successoribus insignis ea facultas concredita fuerit? jus illud, quod naturam feudorum communem evertit, cum per speciale pactum adjectum deprehendatur, in dubio reale esse censemus, partim quod interpretatio

in

in dubio fieri debeat contra illum, qui clarius loqui debuisset & potuisset, *L. 39. π. de pactis*, partim quod omne pactum reale potius quam personale in ancipiti reputetur *L. 7. §. 8. π. de pact.* add. THOMASIVS *de feudo alienab. §. 30.* Ex eo autem inprimis colligendum est, alienandi potestatem licere cuicunque prædii feudalis possessori, si primis investituræ pactis verba ad ipsum prædium feudale magis, quam in præsentem Vasallum directa observantur, non minus, quando successorum & possessorum der künfftigen Besitzer, mentio fiat, aut feudum ita datum, ut ipse, hæredes masculi & fœminæ, & cui Vasallus feudum dederit, id alienare possint *2. Feud. 26.* qualis concessio reale, procul dubio, arguit pactum, ut omnes Vasalli successores habeant feudi alienandi potestatem. Conf. ROSENTHAL. *C. 19. conc. 41.*

§. II.

Si Vasallus literis investituræ navis ctus fuerit facultatem feudum legitime & juste alienandi, qui obtinent?

Quæritur autem hoc loco, an Vasallus, si literis investituræ facultatem, feudum legitime & juste alienandi acceperit, feudum possit sine domini directi consensu alienare? quod negandum, quamvis enim verba semper ita interpretanda sint, ut effectum producant, hoc tamen loco nihil aliud innuere videntur, quam quod Vasallus, si prægnantibus ex causis in personam, æque habilem, feudum alienare intendat, consensum domini legitime petere, dominus autem imploratus eum facilius impertire velit, quod propria verborum significatio manifeste satis secum fert. Feudum enim legitime & juste alienari nequit, nisi dominus consensum dederit, & tantum hoc loco abest, ut dominus eum sub hac formula impertitus fuerit, ut potius enixam magis voluntatem de requirendo eo declaraverit.

§. III.

Si feudum ex pacto alienabile, alienatum fuerit, domini illud non potest revocare, Vasallo ejusque hæredibus mortuis.

Feudo sic alienato ex primis investiturarum pactis, dominus feudum, invito eo alienatum ex capite feloniæ revocare non potest, sed emtorem, Vasallum novum agnoscere tenetur, adeo ut nec Vasallo alienante mortuo sine hæredibus, vel etiam ejusdem hæredibus mortuis illud revocare valeat, nisi facultas alienandi concessa ad solam Vasalli personam, certasque lineas, aut gradus fuerit restricta. Resoluto enim jure dantis, resolvitur & jus accipientis. Non autem ex concessione alienationis generali statim renunciatio juris protimiseos colligenda, cui dominus renunciasse haud censetur. Dn. WERN-

Vtitur tamen jure protimiscos. WERNHER. *P. I. obs. 209.* THOMASIVS *de feudo alienab.* §. 32. in quo differt alienatio cum consensu domini antecedente generali, ab alienatione cum speciali consensu, ille enim non impedit, quo minus dominus directus protimiscos jure uti possit, sed saltem, ut feudum ex capite feloniæ non revocetur, bene tamen hic, cum jam alienatio in hunc illumve facta approbata fuerit THOMAS. *l. c.* *Non succedunt fœminæ in feudo alienabili.* Neque, cum feudum alienabile in reliquis propriam feudi naturam retineat, in eo succedunt fœminæ, ne quidem deficiente mascula prole, neque sit hæreditarium, multo minus speciem allodialitatis adsumit, Vasallus quippe, si feloniam committat, vel denegando servitia, vel alia patrando, feudo privari potest.

§. IV.

Si feudum itaque ex consensu domini directi generali alienabile alienatum fuerit, emtor regulariter fit Vasallus ut se investituram petere, fidelitatemque vasalliticam præstare, nisi feudo privari velit, necessum habeat. Quodsi ut prædium emphyteuticum, vel censiticum, vel ad libellum acceperit, possidet quidem illud, prout concedenti placuerit, allegato textu 2. *Feud.* 48. hæc tamen alienatio ita est comparata, ut ratione concedentis non intervertatur nexus vasalliticus, inter eum & dominum directum intercedens, ut adeo qualitercunque feudum datum fuerit, sive ad proprium, sive ad libellum, licet prædium concessum intuitu accipientis propriam feudi naturam non habeat, jure tamen feudi censeatur, atque ex his causis amittatur, quibus & verum feudum.

§. V.

Effectus ratione agnatorum & simultanee investitorum. Hæc de feudo alienabili, quatenus dominum directum respicit, jam quid circa agnatos, simultaneeque investitos justum sit? inquirendum erit. Ubi notandum, feudum aliud esse respectu agnatorum, simultaneeque investitorum, ex pactis cum iisdem initis, alienabile, licet intuitu domini sit inalienabile, aliud tam respectu domini directi, quam agnatorum & simultanee investitorum alienabile. Inpræsentiarum quæritur, quatenus feudum, intuitu domini, ex pactis primæ investituræ alienabile, citra consensum agnatorum, aliorumque, quorum interest, alienari possit? Ejusmodi feudum, respectu agnatorum propriam suam, ordinariamque naturam retinere putamus, ut proinde agnati simultaneeque investiti feudum alienatum, mortuo alienante, ejusque hæredibus, revocare

revocare possit, nisi primis investituræ pactis expresse dictum sit, quod feudum & respectu agnatorum, simultaneeque investitorum, alienabile esse debeat, aut Vasallus literis reversalibus, de non impediendâ liberâ alienatione, sibi prospexerit, de quibus §§. sequ. Procedit hoc maxime si in feudo ab initio recto, dominus ex post facto alienandi facultatem concesserit successoribus. Habent enim hi ex pacto primi acquirentis jus quæsitum, quod ipsis invitis auferri nequit. Quod si Vasallus, qui feudum alienare potest, ex literis investituræ, inter vivos, id alienaverit per testamentum, aliamque mortis causa dispositionem, id tempore successionis devolutæ, mortuo alienante, ejusque hæredibus, vindicabunt agnati.

§. VI.

Feudum ex pacto cum agnatis aut simultanee investitis alienabile.

Si feudum intuitu domini directi, sine ejus consensu, inalienabile quidem sit, aliquando tamen, consensu domini impetrato, absque agnatorum simultaneeque investitorum consensu valide alienari potest, id quod fieri solet, si investituram simultaneam ita nacti fuere, ut possessorem feudi, necessitate urgente, vel etiam pro lubitu, alienaturum prædium feudale, ob datas literas reversales, impedire haud possint. De quo argumento LUD. MENCKE in peculiari quadam disputat. prolixius egit. Nobis hic monuisse sufficiat, talia pacta stricte interpretanda esse, hinc tempus, modus & causa, & omnia alia, iisdem expressa, exacte observanda, & ultra personas, non paciscentes, eorumque posteros non extendenda. HARTM. PISTORIS *L. II. qu. 7. n. 47. & 29. seq.* cum quilibet sibi saltem, non aliis præjudicare, aut alieno juri renunciare queat. Neque consensus agnatorum & simultanee investitorum inter se invicem ad alienandi potestatem ex eo colligi potest, si ad successionem mutuam proximi, eodem tempore, & simul alienandi licentiam a domino directo petierint, eamque impetraverint. Consequitur non minus, Vasallum ex pacto cum agnatis simultaneeque investitis liberam alienandi facultatem, absque eorum consensu habentem non posse feudum mutare in allodium, neque masculinum convertere in fœmininum, nec per ejusmodi pactum præjudicari potest domino directo, nisi in pactum consenserit.

§. VII.

An pacta talia de alienando feudo

Quæritur autem hoc loco, an talia pacta de alienabilitate feudi, & alia, cum agnatis, & simultanee investitis inita, valeant

absque

cum agnatis simultaneeq; investitis inita, valeant absque consensu domini directis.

absque consensu, & confirmatione domini directi. Distinguunt doctores, an talia pacta inter convasallos v. g. de dotatione filiarum, an vero inter possessorem feudi & simultanee investitos, super alienatione, oppignoratione, vel alias, devolutione feudi intercedant? quibus casibus cum pacta ipsam feudi naturam quandoque, & interesse domini concernere videantur, requirunt consensum domini directi, adeo, ut tale pactum, nec ipsos paciscentes, quoad ipsorum personas stringat. STRUV. *Syntagm. Jur. Feud. Cap. XIV. §. 22. it. Cap. XIII. §. 15.* Verum si perpendas, juxta superiora, alteri per alterum, iniquam conditionem non inferri, multo minus per pacta, cum agnatis, simultaneeque investitis, domino feudi directo præjudicari posse, ita potius generaliter dicendum est, pacta inter convasallos, vel possessorem feudi, ejusque agnatos, & simultanee investitos, qualiacunque, si interesse domini non concernant, sive de feudo alienando, sive eorum consensu, sive de admittendis fœminis ad perceptionem fructuum ex feudo, vel de dotatione filiorum agant, in præjudicium paciscentium, non vero aliorum, no consentientium valere. *Vid.* Dn. WERNHER. *obs. P. III. obs. 87. p. 206.* Quod enim consensus domini non intervenerit, est exceptio de jure tertii, qua paciscentes non juvantur. Dn. WERNHER. *l. c.* cum contra factum proprium venire haud possint per *Can. quod semel. de Reg. jur. in 6.* Oritur ex ejusmodi pactis condictio ex moribus, si paciscentes se ad consensum præstandum obstrinxerint, nec minus actio ex contractu, si contractui principali pactum accesserit *per leg. 13. C. L. 7. §. 5. ff. de pact. L. 2. Cod. de pactis inter emtor. & vendit. &c.* Quin immo, si agnatus, simultaneeque investitus, possessori facultatem disponendi mortis causa permiserit, feudum licet ipsum sine consensu domini non afficiat, hoc tamen effectu gaudet, ut de fructibus futuris dispositio post mortem vim habeat, si vasallo tantum relinquatur, quantum ad servitia, domino præstanda, opus habeat. *Vid.* MENCKEN. *Disput. de feud. ex pact. cum simultanee investit. alienab. §. 20.* Dn. HOM. *Jur. Feud. Cap. XIV. §. 7.* ut proinde & tertio, hæredi sc. vel legatario, valida exinde nascatur obligatio & actio.

CAPUT

CAPUT III.

DE FEUDO NOVO, QUATENUS CITRA CONSENSUM AGNATORUM, CUM CONSENSU TAMEN DOMINI DIRECTI, ALIENARI POSSIT.

§. I.

Obtinent hactenus dicta, si pacto expresso vasallus, prædii feudalis possessor, sibi liberam alienandi potestatem reservaverit. Jam quid in feudo novo, respectu quidem domini inalienabili, ratione agnatorum juris sit? adhuc videndum est. Feudum novum absque filiorum, & agnatorum consensu valide alienari posse, vulgo contendunt, eo quod in feudo novo, ante primi acquirentis mortem, iis nullum jus quæsitum, sed illud saltem beneficio primi acquirendis sperandum sit, quod & ad feuda nova, jure feudi antiqui concessa extendunt, nisi pactiones hoc nomine expressæ inter possessorem & agnatos intercesserint. HORN. *Jur. feud. Cap. III. §. 10.* vel de feudo simul fuerint investiti, id quod secundum jura feudalia communia, extra omnem controversiæ aleam positum esse creditur. WERNHER. *P. VII. obs. 52. ibique citati.* In Saxonia autem, ubi agnati, non qua tales, sed ut simultanee investiti succedunt, & jus reale statim nanciscuntur, *Rescript. Torgav. d. 1583. tit.* Welchergestalt die Agnaten und Mitbelehnte &c.: *verb.* jedoch ist solches etc. etiam feudum novum, respectu agnatorum simultanee investitorum, inalienabile est, quod tamen de illis saltem, qui veram investituram simultaneam consecuti sunt, intelligendum. Excluduntur hinc 1) qui in illis terris, ubi plenissimus Landsassiatus viget, homagium nondum præstiterunt, ante enim, quam actu nondum sunt simul investiti, & homagium, cum vasallagio, non præstitere, nullum adhuc consecuti sunt jus reale. SCHUBERT. *Disput. de consens. agnator. in hypothec. feud. tempor. §. XI.* Excluduntur 2) qui expectativam saltem in feudo habent, quippe quæ nudam promissionem de futura successione, si feudum ad dominum redierit, continet. CARPZ. *Constit. 45. def. I. n. 12. & in Resp. L. VI. resp. 77. n. 2. 3.*

Feudum novum alienatur citra agnatorum consensum.

Secus jure Saxonico, si simultanee investiti adsint.

Limitatio 1)

Limitatio 2)

Limitatio 3) Neque 3) investitura de feudo abusiva, cum nec hæc jus reale illis, qui eam consecuti sunt, tribuat, efficit, ut vasallus requirere necessum habeat consensum eorum, qui illam impetrarunt. Quam diu enim jus reale in feudo alteri non quæsitum est, ex eo quoque vasallus, possessor, ad impetrandum alterius consensum, non obstringitur. *Limitatio 4)* Consequitur 4) quod nec simultanee investiti, cum feudi successionem semel adepti sunt, obligentur ad consensum inter se requirendum, eo quod non sint simultanee investiti inter se, sed quilibet, casu successionis existente, partem suam libere, citra consensum alterius alienare potest, nisi & postea simultaneam investituram in altera parte feudi, consensu possessionis consecuti sint. Dn. WERNHER. *P. IV. Obs. 163.*

§. II.

An feudum natura vetus, si postea fiat novum absq; agnatorum consensu alienari queat?

Contigit interdum, ut feudum, natura vetus, fiat novum, si nimirum filius, abstinendo hæreditate paterna, consensu agnatorum, de novo investiatur *2 Feud. 45. in fin.* ut itaque non ex jure patris, sed novo titulo, feudum acquirat. Quo casu quæstio oritur, an ejusmodi feudum, natura quidem vetus, per investituram ex post facto novum existens, absque agnatorum consensu alienari possit? Distinguendum hoc casu, an agnati, novam investituram vasalli adprobantes, jura sua sibi reservaverint, atque consenserint, salvo jure der gesamten Hand, an vero non? Casu posteriori, cum simpliciter vasallum de novo investiri passi fuerint, postea, cum non admittantur amplius ad successionem, *alleg. text. feudor.* neque consensus eorum, in feudi alienationem, requirendus erit. Id quod & in feudo permutato, cum illud ipsum respectu acquirentis novum fit, obtinere putamus. Quod si jura sua reservaverint, aut expresso pacto, de successione, in feudo novo permutato obtinenda, sibi prospexerint agnati & simultanee investiti, feudum citra eorum consensum alienari non potest.

CAPVT

CAPUT IV.

DE

FEUDIS EX PRIVILEGIO ET CONSUETUDINE SINE DOMINI DIRECTI, AGNATORUM ET SIMULTANEE INVESTITORUM CONSENSU ALIENABILIBUS, IN SPECIE DE FEUDIS LUSATIAE, SILESIAE ET MECKLENBURGICIS.

§. I

Enixam magis domini voluntatem antecedentem, de alienando feudo declarant ut plurimum privilegia, id circo concessa. Quo insignis se simul ostendit differentia, inter speciale aliquod, & generale privilegium, de alienando feudo. Hoc toti regioni magis, quam personis indultum, & in dubio pro reali reputatur, ut alienato etiam feudo, qualitas hæc ad quemvis feudi possessorem transeat. Tale privilegium ex FERDINANDI & MAXIMILIANI imperatorum beneficio competit utriusque Lusatiæ Vasallis, vi cujus, urgente ære alieno, quod sine culpa,& absque dolo ipsis supervenit, vel si hæredibus, & successoribus feudalibus destituti, adhuc ita robusti, & validi sint, ut in conspectu provinciæ præfecti, thorace ferrea induti, equum ferocem, ein Hengstmäßiges Pferdt, a terra conscendere possint,feudum alienandi potestatem habeant. Actus hujus solemnia prolixius refert BORN. *Disput. de transmut. feud. in allod. add.* STRYK. *de feud. Lusat. Sup. Cap. II. §. 31.* Ipsa utriusque imperatoris privilegia *vid. in Append. Corp. jur. p. 48. 49.* Cum postea variæ circa intellectum privilegii orirentur controversiæ, illas Saxoniæ Elector JOH. GEORG. I. constitutione peculiari, anno 1653., definivit ita, ut feuda Lusatiæ pro hæreditariis non haberi, eaque inter vivos saltem, haud vero per ultimam voluntatem, multo minus in fœminas, sed potius successionis capaces, remotiores licet, transferri queant, quæ alienatio tunc ad confusionem, litesque evitandas præfecto indicanda. *Vid.* die Laußnitz. Lehn-Ordnung, *d. a. 1652. in Corp. jur. Lusat. super. p. 461.* Procedit & hæc alienatio

Feuda Lusatiæ alienantur certo modo sine domini consensu,

Et absque consensu

absque *agnatorum*

& simultanee investitorum.

absque agnatorum & simultanee investitorum consensu, ut neque hi, si anterius dicta observentur, jus contradicendi habeant. Cæterum inter se paulisper differunt privilegia feudorum utriusque Lusatiæ. Illud enim, quod Lusatiæ inferioris vasallis ab imperatore FERDINANDO a. 1538. datum, pinguius videtur illo, quod Lusatiæ superioris vasallis a. 1544. tributum. In priori enim cuilibet incolæ permissum est alii, non peregrino, feudum vendere, permutare, oppignorare, sine speciali consensu domini, si modo apertura non proxime speranda sit, neque mentio hic fit urgentis æris alieni, uti in privilegio vasallorum Lusatiæ superioris. Id adhuc observandum est, quod, licet vasalli utriusque Lusatiæ feuda, ita sine speciali domini directi, & agnatorum consensu, alienare & oppignorare possint, requiratur tamen, præsertim, quod hypothecam feudi attinet, si ea contra tertium possessorem cum maxime operari debeat, ut fiat judicialiter, & sub confirmatione judiciali. *Vid.* Dn. BERGER. *Oecon. Jur. L. II. Tit. 5. p. m. 532.*

Hypotheca tamen feudi judicialiter constituenda est.

§. II.

An in feudis Lusatiæ dominus & agnati jus retractus & protimiseos exercere possint?

Oriuntur hic quæstiones, inter doctores pro & contra decisæ, an nimirum in feudis Lusatiæ, si ea vi privilegii alienentur, competat domino directo, & agnatis, jus protimiseos & retractus? Affirmativam sententiam juri conformiorem esse putamus, eo quod reliqua feudi naturalia per concessam alienandi facultatem non mutata, multo minus domino jus protimiseos & retractus vi dominii directi & favore consolidationis competens adempta censeantur. Sunt nimirum hæc plane separata, ad quæ privilegium principis ultra ejus mentem, & quatenus in præjudicium tertii tendit, extendi non potest. Neque est, quod dicas, tali casu privilegium Ferdinandinum suo destitui effectu: hoc enim operatur ut vasallus, irrequisito domini consensu, feudum alienans, eo, ex capite feloniæ privari, illudque revocari nequeat. Neque semper fit, ut dominus directus, vel agnati feudum iisdem conditionibus accipere velint, ut adeo contractus non semper reddatur irritus, aut jus protimiseos alienationem proprie impediat. *Plura vid. apud* THOMASIUM *de feud. alienab. §. 40. seq. add.* Dn. WERNHER. *Obs. P. IX. obs. 127.*

§ III.

Dantur & alia privilegia, feudi alienationem permittentia. Paucis attigisse sufficiat, Vasallos Pomeraniæ de feudis certa ratione disponere posse, qua de re STRYK. *disput. de feud. Pomer.* tractat. Quemadmodum & feuda Silesiæ certo modo sunt alienabilia, testante SCHICKFUSIO *in Chron. Silesiæ L. III. Cap. 25. p. 303.* verb: Uber dieses haben die Lehns-Leute solche privilegia, daß sie die Lehns-Güther, wenn sie nicht auf den Fall stehen, ihrem guten Belieben nach, ohne Einwilligung des Lehn-Herrns, und Agnaten veralieniren, verändern, verkauffen, und vertestiren können. In plerisque investituræ literis amplissima alienandi potestas vasallis ita conceditur, dasselbe zu haben, zu behalten, zu besitzen, zu geniessen, zu verkauffen, zu verpfänden, und damit zu thun und zu lassen, auch seines besten Willens, als mit seinen propren Guthe, damit zu gebahren, für Uns, Unsern Erben, und Nachkommen, auch männiglich und ohngehindert, doch uns an unsern Herrlichkeiten, Lehnen, Rechten und Diensten allezeit ohnschädlich, HENEL. *de jure dotal. Cap. VI. §. 6.* ANTON. *disp. feud. disput. IX. §. 4. lit. f.*

Pomerania & Silesia vasalli disponunt certa ratione de feudo.

§. IV.

Haud vero ignobiliores tantum vasalli ejusmodi alienandi privilegiis, ex concessione utuntur, verum & summi quidam imperii principes. Illustre nimirum feudi cujusdam alienabilis imperii occurrit exemplum in Archi-Ducatu Austriæ, cujus possessoribus privilegium a FRIDERICO & CAROLO V. indultum, ut hæredibus destituti, aut mox decessuri, liberam, invito etiam imperio, exercere possint disponendi inter vivos pariter, & mortis causa potestatem ITTERVS *de feud. imper. Cap. XVI. §. 6. & Cap. XXIII. §. 9.* LVNIG Teutsches Reichs-*Archiv, Part. Spec.* von Oesterreich. ZECH. in Europ. Herold. *p. 466.* Quod privilegium de provinciis non solum austriacis, sed de omnibus aliis, ad Archi-Ducem Austriæ spectantibus regionibus v. g. de regnis Bohemiæ & Hungariæ intelligit LVDWIG. *ad Aur. bull. Tit. VII. §. 5. not. d. p. 764. & Germania princeps Cap. III. §. 45.* Similiter libera alienandi facultate gaudent Marchiones Brandenburgenses, extra imperium Duces Lotharingiæ, LIMNEVS

Dantur & feuda imperii ex privilegio alienabilia.

Jur. publ. Tom. I. Cap. 2. n. 3. & Mantuani. Vid. SCHOPPIVS *in thesaur. feudal. Cap. I. &c.*

§. V.

Consuetudine feuda interdum redduntur alienabilia sine domini & agnatorum consensu.

Ex consuetudine feuda quandoque fiunt alienabilia. Quamvis enim ad consuetudinem, jure subsistentem, rite constituendam, requiratur, ut primo de consensu domini, & imperantis constet, actuum deinde adsit frequentia, accedat temporis diuturnitas, atque pro ea militet rationabilitas *per l. fin. Cod. quae sit Cong. consuetud. Cap. fin. X. de Consuet.* primum vero, & ultimum hic cessare videatur, eo, quod translatio feudi sit actus maximi praejudicii, quo dominus, tam servitiorum intuitu, quam proprietatis ratione damnum sentire posset gravissimum, quod nullo sane aequitatis fundamento, si praesertim feudum vasallo ex mera gratia, absque pretio concessum fuisset, niteretur, ut adeo non possit non praesumi, dominum in quidvis potius, quam in ejusmodi alienationem consensurum, quemadmodum & ipse feudista irrationabilem illam vocat consuetudinem Mediolanensium, qui clientulum alienare posse totum feudum, sine domini voluntate dicebant *1 Feud. 13.* Manifesta tamen aequitatis ratio ex eo evincitur, quod domini ante inductam ejusmodi consuetudinem, vasallis, alienationem suscepturis, faciles se praebuerint, omittentes contradictionem, conferentes, neque prohibentes investituram, ex quibus omnibus generalis domini consensus ad omnes alienationes clarissime conspicitur, ut speciali ejus approbatione postea opus haud sit. Quemadmodum vero consuetudo, alienandi feuda, sine domini consensu, hac ratione valide inducitur, ita & consuetudine feuda, sine consensu agnatorum, ob paritatem rationis, alienabilia fieri possunt, si nimirum & hi dissensum non declaraverint, & more regionis feuda, citra eorum consensum alienata fuere. Coeterum spectat consuetudo, juxta cum privilegiis, nisi expresse restricta sint, non solum ad actus inter vivos, sed & mortis causa, ut vasallus eadem facilitate, de feudo condere testamentum, quam quendam alium contractum celebrare possit. HVLD. ab EYBEN. *Elect. feud. Cap. VII. §. 17.* STRYK. *Cautel. testam. Cap. VI. membr. 2. §. 13.* CARPZ. *L. VI. resp 15.* HORN. *jur. feud. Cap. XIX. §. 2. & Resp. Class. XVI. resp. 44.* WERNHER. *P. IV. obs. 143.* Reputantur pro feudis consue-

consuetudine, sine domini & agnatorum consensu alienabilibus feuda galliæ, testante CVRT. *jun. P. IV. n. 110.* BORCHOLD. *Cap. VIII. n. 75.* quæ instar patrimoniorum, invito & irrequisito domini consensu, valide alienari ac donari posse BOERIVS *in Decis. Burdegal. Cap. XIV. n. 12. cum ibid. citat. aut.* contendit. In Franconia feuda Herbipolensia, quoad medietatem feudi, autore RÖSENTHALIO *de feud. Cap. IX. Membr. I. Concl 58. n. 46.* meminit & BALDVS *in C. imperialem n. 10.* ibique LAVDENSIS *n. 32. de prohib. feud. alienat. per Fridericum* consuetudines, qua feuda creditoribus in solutum dari potuerunt, Conf. ANTON. *Disp. feud. disput. IX. §. 4.* SCHENCK. *L. III. Tit. I. n. 2.* SCHVRFF. *Cons. Cent. I. Cons. 41. n. 11.*

§. VI.

Feuda non minus Mecklenburgica, inveterata consuetudine alienabilia esse, status provinciales Ducatus Mecklenburgici, interposita appellatione ad Cæsaream Majestatem a constitutione Serenissimi Ducis, Caroli Leopoldi, sub dato 28. Julii 1717. de non alienandis, neque oppignorandis feudis, sine ejus consensu publicata, demonstrare annisi sunt. Extractum interpositæ, & coram judicio aulico justificatæ appellationis hic exhibemus, sequentis tenoris: *De feudis Mecklenburgicis.*

Demnach Anwalt der Mecklenburgl. Ritter und Landschafft gebühren will, die an Ew. Käyserl. Majest. Höchstpreißl. Reichs-Hof-Rath wider des Herrn Hertzogs zu Mecklenburg, Carl Leopold Fürstl. Durchl. neulichst sub dato den 28. Julii 1717. publicirte sogenannte Landes-Constitution, wegen Versetz- und Verpfändung der Mecklenburgl. Lehen-Güther, von gesagter Ritter- und Landschafft allerunterthänigst interponirte appellation Ordnungs-mäßig zu justificiren: So bedinget sich derselbe zuförderst aus alle, dem appellirenden Theil zustehende Reichs-Wohlthaten rc. Die Materialia anlangend rc.

Gravamen III.

Wiewohl ohne dem diese constitution, ratione materiæ, und ihres gantzen Inhalts halber, denen offenkündigen Rechten, und

per

per pacta majorum bestätigten, beständigen Landes Herkommen zuwider, folglich an und vor sich, null und nichtig ist: indem

III) darinnen statuiret werden will: daß in denen Fürstenthümern Mecklenburg keine Versetz- und Verpfändung einiger Lehen-Güther, ohne des Landes-Fürsten, als domini directi specialen Consens, zu recht beständig und gültig geachtet, und gehalten werden solle.

Da doch in Gegentheil notorium ist, daß die sonderbahre Art, und Eigenschafft der Mecklenburgl. Lehn-Güther, und das durch die Landes reversales, Fürstl. resolutiones und beständigen Gerichts-Brauch bestätigte Herkommen, und Landes- und Lehns-Observanz es mit sich bringet, daß die Lehn-Güther in denen Fürstenthümern Mecklenburg, zumahl wenn sie nicht auf dem äussersten Fall der Eröffnung stehen, ohne des Landes-Fürsten, als Lehns-Herrn specialen Consens, gültig, und mit rechtlicher Würckung versetzet, und verpfändet werden können: welches besondere Recht der Mecklenburgischen Lehn-Güther, der Ritter- und Landschafft, und sonderlich denen, mit Lehn-Güthern im Lande angesessenen dergestalt de facto nicht entzogen werden mag.

Denn es ist aus der Historie bekandt, daß nach dem Abzug der uhrältesten Einwohner diesseits an der Ost-See, der Vandaller, beym Ende des 5ten Seculi nach Christi Geburth, die undeutsche fremde Nation derer Wenden und Slaven, wie alle übrige der Vandalier verlaßnen Provincien, also auch unter denenselben das Land Mecklenburg occupiret haben:

Vid. Dn, Henr. Cocceji jurispubl. prud. Cap. 3. Sect. IV. n. 51. & Sect. V. n. 65. seq. ibique allegat. *Thomas.* Analect. Gustroviens. period. I. §. 2.

Welche, gleich wie sie nach ihren eigenen Sitten, und Rechten gelebet, auch noch zu der Zeit, wie sie von Käyser Carolo M. bezwungen, bey ihren eigenen Rechten gelassen worden.

Vid. Coccej. Jur. publ. Cap. 3. Sect. 4. n. 58. ubi: *formula Sclavicarum gentium fuit, ut sub suis ducibus & suo jure viverent.*

Also auch, aller vernünfftigen Vermuthung nach, um die sonst in Teutschland und Italien etwa üblichen Lehn-Rechte sich wenig bekümmert, sondern ihre occupirten Land-Güther eigenthümlich besessen haben. Immassen denn von solchen Zeiten keine Spur von Lehn-

forti privatorum subjecta, juris feudalis publici expertibus incognitum haud est. Rationes, si hujus rei exquiras, varias, pro doctorum varietate reperies, quidam potestatem hanc jure superioritatis, quam possident, territorialis imperii statibus competere, STRUV. *Syntagm. Jur. Feud. Cap. XIV.* §. 29. *n.* 5. alii, principes universum quidem feudum, vel territorium ab imperatore augustissimo recognoscere, singularium vero territorii partium directum habere dominium, asserunt. FRANTZKIUS *de Laudem. Cap. XIV. n. 38. seq.* alii aliter. Nostram, quod attinet sententiam, de sublimi hac statuum in territoriis suis potestate, illam tam ex superioritate, qua gaudent territoriali, quam communi feudorum jure, haud vero ex dominio rerum ac singularium territorii partium, quod ipsis perperam adsignatur, directo, deducendam putamus. Si quidem vasalli imperii, obligationis juri v. g. in securitatem creditoris, feuda subjiciunt, ex causa necessaria, ob argentia onera feudi, successores exsolutioni debitorum necessariorum se propterea subducere nequeant, quod & communi feudorum consuetudine ea sufferre teneatur; Jam vero, si alia debita, mere allodialia, ex publica causa oriunda, respicias, illustres imperii principes obligant successores ex summa quadam, & analoga Majestatis Cæsarea potestate, cujus intuitu, ut meri imperatoris, & imperii vasalli considerari haud possunt, cum in communionem majestatis adjuti, illustre dignitatis fastigium, cum superioritate territoriali habent conjunctum. *Instr. Pac. Osnabrug. & Mon. art. 8.* unde & facta ipsorum, per omnia ad normam juris feudalis Longobardici exigenda non sunt. Considerantur non solum ut feudorum regalium, sed etiam ut totius territorii successores, quod varia jura, tam allodialia, quam feudalia, cum oneribus & commodis, ut paucis plura complectar, universitatem continet, cui jura votorum & sessionum in comitiis, feudis regalibus alias non annexa, adjuncta sunt. RHETIUS *de tranimiss. territorii.* VULTEJUS *Vol. III. Consf. Magdeburg. 35. n. 116.* Status & Principes imperii sunt capita reipublicæ, & nomine illius agunt, hinc & jus obligandi defertur ad successorem una cum delatione imperii, si maxime secundum præscriptum legum fundamentalium, & ubi hoc requiritur etiam ex consensu ordinum provincialium egerint. Sequitur hinc, eos posse particulas feudorum imperii ob necessitatem publi-

cam

cam, absque consensu imperatoris, & successoris feudalis alienare & oppignorare. Confer. SCHILTER. *Prax. Jur. Rom. Exerc.* 45. §. 68. SECKENDORFF. Fürsten-Staat. *P. II. Cap. III. n.* 6. ITTER. *de feud. Imper. Cap. XXIII. th.* 2. *seqv.* HORN. *Jur. feud. Cap. XIX.* §. 10. atque proinde successorem, etsi hæres factus haud sit, debita publica etiam non feudalia exsoluere, teneri. Conf. Dn. WERNHER. *Obs. P. V. obs.* 161. & *P. X. obs.* 469. BEIER. *de obligat. success. illustr. in Opusc. Disp. XIII.* §. 33. *adde &* STRUV. *Jur. feud. Cap. XIV. aph.* 29. *n.* 5. *Successor in principatu servare tenetur facta antecessoris.* Quod si tamen princeps ex causa privata aut profusa nimis liberalitate, feudorum regalium partes, in fraudem successoris, alienare velit, id inconsulto imperatore, non consentientibus agnatis, fieri non posse, certum est, sicut & successor in principatu ea omnia, quæ contra conventiones cum statibus provincialibus initas, ab antecessore disposita fuere, revocare potest. *Limitatur.*

CAPUT VIII.

DE

ALIENATIONE, SPECIATIM OPPIGNORATIONE, QVAE FIT IN FEVDO PROPRIO, ANTIQVO, ET NON ALIENABILI, ABSQVE DOMINI DIRECTI AGNATORVM ET SIMVLTANEE INVESTITORVM CONSENSV.

§. I.

HActenus exposita respiciunt maximam partem alienationem, quæ pro diversitate feudorum in feudis impropriis, vasallis possessoribus licet. Jam ad feuda propria, & videndum, an & quatenus illa alienari, aut una alteraque alienationis species citra senioris & agnatorum consensum suscipi possit. Genuinam rationem prohibitæ feudi alienationis fuisse, ne domino alius vasallus, quam quem prima investitura jam approbaverat, obtrudatur, eoque ipsi præjudicium aliquod causetur, supra observatum fuit. Sequitur

Alienatur feudum in eum, qui jus succedendi jam quæsitum habet.

quitur exinde, illam in omni feudo valere dispositionem, invito etiam domino, quæ fit in eum, qui ad simultaneam investituram jam admissus est, licet proximus in successione nondum sit. Novi quippe, & extranei possessores, cum domino non obtrudantur, alienationis actus in detrimentum ejusve contemtum susceptus fuisse dici non potest. *II. Feud. 14. & 31.* SCHARFF. *Conf. 18. n. 13.* WERNHER. *Obs. P. II. obs. 368.* agnatis & simultanee investitis ad successionem jamjam adprobatis. Sane hoc probe observandum est, quod vasallus neque hic juri agnatorum, & simul investitorum proximiorum in feudo dudum quæsito derogare possit; Quando enim de ipsorum præjudicio agitur, qui proximæ sperant successionis commoda, consensus eorum interveniat, necesse est, neque hic major pars plurium, æquale forte in feudo jus habentium, in dissentientium operatus præjudicium, aut consentientibus agnatorum remotioribus, gradu successionis proximiores obligat talimodi in agnatum alienatio, ea videlicet ipso jure evanescit, feudumque restituendum est ei, quem ordo successionis tangit, modo ab initio de alienatione suscipienda protestatus, vel alias dissensus monstraverit notas. SCHUBERT. *Disput. de consens. agnatorum tempor. in hypothec. feudi Cap. I. §. 8.* Quod si proximior agnatus alienationem in remotiorem factam adprobaverit, id non simpliciter in favorem simultanee investitorum, sed saltem in favorem paciscentium operatur, ut proinde simultanee investiti, casu successionis existente non totum feudum, sed partem suam revocare queant. *Conf.* Dn. WERNHER. *P. IV. obs. 31.*

§. II.

An feudum rectum liceat oppignorare.

Ad potiores alienationis species nunc descendentes primo videamus de oppignoratione feudi, quæ, cum proxima via dicatur esse ad alienationem, immo pro alienatione ipsa habeatur. *2. Feud. 55.* & hæc prohibita censetur, adeo ut ob solam hypothecam, privata autoritate constitutam, quidam privationis pœnam obtinere autument. *Vid.* VULTEJ. *de feud. Cap X. n. 43. seq.* LUDWEL. *Syn. jur. feud. p.m. 358.* Verum cum neque jura feudorum Longobardica, speciatim circa oppignorationem privatim factam, neque jura Saxonia privationis pœnam irrogent, quibus posterioribus certa tantum mulcta determinata est, Lehn-Recht

Cap.

Cap. 69. verb. Versetzt auch ein Mann sein Lehn, ohne seines Herrn Uhrlaub (von dem er es hat) der Herr mag ihm wohl gebiethen mit Urtheilen, daß er es löse binnen 6 Wochen. Und thut er es nicht, er muß darein wetten, & paulo post, 10 Pfund wettet der Mann seinen Herrn. *Conf.* SCHILTER. *Jur. feud. Alem. Cap. XXVI.* ita nec illorum sententiæ accedere possumus, etiamsi feudum cum clausula constituti possessorii fuisset oppignoratum. HORN. *Jur. feud. Cap. XIX. §. 3.* Distinguunt aliqui inter pignoris & hypothecæ constitutionem, quarum illam, realem feudi traditionem inferentem, omni jure reprobatam; hanc vero licitam credunt. Sed neque hujus distinctionis ullum, si præsertim effectum spectes, observaveris fundamentum. Dominus sc. utriusque constitutione parem juris sui posset experiri deminutionem, competentibus iisdem ex pignoris, quam hypothecæ jure remediis pro obtinenda debitorum exsolutione ARVMAEVS *Dilut. feud. disp. 7. th. 6. p. 666.* cum ille, qui ad rem actionem habet, ipsam rem habere videatur *L. 15. de R. I. & L. 5. §. item pignor. ff. de pignor.* Hinc quando de validitate hypothecæ in feudo antiquo, & regulari (de impropriis enim supra) sine consensu domini agnatorum constitutæ, quæritur, despiciendum potius est, an vasallus ex causa feudi necessaria pignoris aut hypothecæ nexui subjecerit rem feudalem, vel ex qualibet alia causa. Si onera adsint feudalia, liberam vasallis oppignorandi facultatem competere dicimus, ita tamen ut dominus & hoc casu, de consensu tribuendo, speciatim implorandus sit, eo autem non secuto, vel etiam plane denegato, nihilominus oppignorationem suscipere potest vasallus, adeo, ut jus reale, ipsum feudum afficiens, cujus nomine & agnati tenentur, exinde, non obstante domini dissensu, creditorius acquiratur. Sunt nimirum onera feudi ab omnibus, immo ab ipso domino, devoluto ad ipsum dominio utili, exsolvenda, per hanc oppignorationem feudum non tam novo onere gravatur, quam antiquum, ipsi inhærens, tollitur. Quamvis consultius omnino agat vasallus, qui dominum feudi superiorem, denegato inferiori consensu, ad evitandas litium ambages, pro impertiendo hanc in rem consensu, & supplendo denegati de facta speciali implorat. Habentur autem pro feudi oneribus servitia domino præstanda, quæ ex feudo ad publicas pensitationes conferuntur,

Vasalli oppignorant feudum ob onera feudi necessaria.

Quæ sint onera feudi?

pignus

pignus & hypotheca in feudo antea legitime constituta, dotalitium constituendum, dotatio atque educatio filiarum, impensæ in funus defuncti vasalli factæ, præstatio legitimæ, si vasallus bona sua in comparationem feudi impenderit, & liberis parentibusque vasalli non succedentibus in feudo, ex aliis bonis satisfieri non possit. *Vid.* HORN. *Jur. feud. Cap. XXI. §. 4. seqv.* Accensetur hisce porro, si utiliter quid in feudum impendatur, ut hypotheca, pro pecunia hoc nomine sumta, etiam privatim concessa valeat. STRYK. *Ex. Jur. feud. Cap. 21. qv. 5.* CARPZ. *P. II. Const. 46. def. 13 - - 29.* non minus, quam creditor sibi, ratione pretii in feudo, cum consensu domini alienato, reservavit, cujusmodi hypothecam, cum in allodialibus sine confirmatione judiciali valeat, etiam in feudis valere defendunt. CARPZ. *P. II. Const. 23. Def. 18.* ESBACH. ad CARPZ. *l. c.* RAUCHBAR. *P. I. qu. 6. n. 55.* Interim cum jure feudorum communi, & Saxonico feudi hæc onera, non nisi in subsidium, & deficiente allodio, ex feudo solvantur, facile est ad intelligendum, vasallum in præjudicium agnatorum & domini, si bona habeat allodialia, non temere posse feudum pignori & hypothecæ dare, quemadmodum id jure electorali Saxonico, ubi feudi onera indistincte ex feudo solvuntur, permissum est. *Vid.* CARPZ. *Const. 46. P. II. def. 8. n. 7.*

§. III.

Obligantur fructus feudi, si ob debita allodialia feudum oppignoratum fuit.

Quod si debitum ex qualibet alia, allodii causa contrahatur, feudumque eo nomine, citra domini & simul investitorum consensum, pignori aut hypothecæ datum fuerit, nullam penitus securitatem creditoribus quæsitam putamus, nisi forte quoad fructus feudi, ex quibus, salvis domino servitiis, aliisque feudi præstationibus a vasallo oppignorante ejusque hærede, & successore, si feudum sit hæreditario mixtum, solutio præstanda, quorum nomine creditor, salvo tamen reliquorum prioritatis jure, absque domini & agnatorum consensu immitti potest. NICOLAI *Proc. Jud. P. III. Cap. IV.* STRUV. *Jur. feud. Cap. XII. th. 7. n. 4.* JOH. PHIL. SCHLEVOGT. *de Execut. in bon. feud. th. 7. seqv.*

Si consenserint agnati

Quod si hypotheca consensu agnatorum & simultanee investitorum munita, etiam hi, deficiente licet domini directi consensu, ex propria

pria ipsorum adprobatione, quoad fructus feudales valide obligantur, neque exceptione deficientis domini consensus juvantur, sed ad exsolvenda debita a creditoribus, quibus per consensum se reddiderunt obligatos, haud sine effectu judicialiter adstringi possunt. LYNCKER. *Ref. 578.* BRVNNEMANN. *Dec. Cent. II. dec. 94. n. 8. & in Comment. ad l. 25. π. de Adopt. n. 6.* WERNHER. *P. II. obs. 495. id. P. V. obs. 125.* licet vel maxime simultanee investiti exsolutionem debiti in se expresse haud receperint. *Conf. Dec. El. nov. 67. &* PHILIPPI *ad hanc Dec.* Comprobat hanc sententiam nostram *Constit. Elect. 46. P. II.* ib. Wann aber mit ihrer, (nehmlich derjenigen, so die gesamte Hand haben) Bewilligung solche Schuld gemachet, und auf die Lehen verschrieben, so sollen solche Schulden durch die Lehns-Folger aus dem Lehn vergnüget, und die Land-Erben damit verschonet werden. Ut & *Ordin. Proc. Sax tit 46.* §. Wann aber ꝛc. ꝛc. ubi verba habentur sequentia. Wann Lehn-Güther verpfändet, so sollen dieselbe anders nicht, denn mit Bewilligung des Lehn-Herrn hypotheciret, und ohne das, die Verpfändung nicht statt haben, jedoch soll der, welcher ohne Consens Verpfändung erlanget aus den Früchten desselben Guths vor andern gemeinen Gläubigern seine Bezahlung haben, ihme aber gleichwohl in allewege die Gläubigern, denen das Guth mit Consens verhypotheciret ist, auch in Früchten vorgehen.

in hypothecam feudi, deficiente licet domini consensu, ob quodlibet debitum illi teneatur.

IV.

Sunt equidem doctorum aliqui, agnatum, nequidem ex proprio consensu teneri, contendentes, cum ad substantiam hypothecæ feudalis requiratur consensus domini, quos inter est. CARPZ. *de onerib. feudal. Dec. 2. pos. 2. &* STRUV. *Jur. feud. Cap. XIV. th. 22.* Dicunt creditori actionem competere non posse, sive realem, sive personalem, illam cessare, quod ipsa substantia feudi absque domini consensu non afficiatur, adeoque deficiente jure hypothecæ, actionem hypothecariam deficere; non personalem, cum agnatus consentiendo in hypothecam, semetipsum obligasse non censeatur. Juvare hanc sententiam videtur, maxime si fructus feudi respicias, quos hoc casu affici putant, illos quidem agnatum, simul investitum oppignorare potuisse, illud vero haud voluisse

An ad substantiam hypothecæ feudalis requiratur consensus domini directi?

fuisse, ipsum potius feudum consensu suo respiciendo, quod tamen oppignorare haud potuit. Non minus posse dominum directum per talem fructuum oppignorationem, & exinde sequentem immissionem creditoris ad tempora vitæ vasalli & agnatorum incommodum & præjudicium sentire. Verior tamen videtur eorum, & hactenus diversis constitutionibus electoralibus comprobata opinio, qui hypothecam, consensu agnatorum, simultanee investitorum munitam, in eorum præjudicium, quoad fructus feudi, valere asserunt; quid enim juvaret, ipsorum requisivisse consensum, si se non in proprio, casu successionis devolutæ, obligassent, quod utique actum censeri debet. Et cum fructus feudi, etiam cum ipsum feudum oppignoratur, facile est ad comprehendendum, actionem hypothecariam eo nomine competere, creditoremque in fructus feudi immitti, neque ab agnatis simultanee investituræ jure succedentibus, si consenserint, temere expelli posse. Dn. BOEHMER. *de hypoth. feud. expressa*, *Cap. II. §. 16.* Censentur insuper fructus feudi jure allodialium, per textum *2. Feud. 28. §. his consequentur. 2. Feud. 86.* Ex quo proinde consequitur, immissionem in feudum, quoad fructus, etiam ab alio judice, quam domino feudi fieri posse. *Vid.* **Ord.** *Proc. Saxon. tit. 49. in pr.* illumque, cui fructus feudi oppignorati sunt, jus prælationis præ eo consequi, qui hypothecam cum sensu domini in ipsa feudi substantia posteriorem nactus est. BRUNNEMANN. *Cons. 80. n. 23. 24.* Immo, si dominus feudi ad executionem, propter hypothecam, ab agnatis solum adprobatam imploratur, decretum executionis simpliciter dederit, creditor in ipsam feudi substantiam immissus habetur, quemadmodum id expresse in *Ord. Proc. Sax. Tit. 40. §. I. de Exequut. in bon. feud. verb. cautum*: Wann aber bey solcher Hülffe keine sonderliche Erklährung geschiehet, soll es dafür gehalten werden, daß dieselbe des Lehns-Herrn jurisdiction gemäß, und also zu dem Eigenthum geschehen, und derowegen der, welchen verholffen wird, hiedurch ein pignus prætorium nicht allein zu denen Früchten, sondern auch zu dem Eigenthum erlanget habe. *add.* CARPZ. *P. I. Const. El. 32. def. 25. n. 8.* Similiter, si dominus feudi, qui simul jurisdictionem habet, arrestum concesserit, illud in ipsam feudi substantiam concessisse, vult Dn. WERNHER. *P. X. obs. 479.* quod in Saxonia Electorali a Cancellaria

cellaria Dresdensi generaliter obtentum non minus bona feudalia concernit. *Ord. Proc. Sax. Tit. 51.* §. Wann aber in unserer Cantzley ꝛc. ꝛc.

§. V.

Quemadmodum vero ad alienationem rerum pupillarium præter confirmationem contractus. & decretum judiciale requiritur; ita & in feudis, ex sola confirmatione debiti feudalis, domini consensus intervenisse dici non potest: CARPZ. *L. IV. resp. 29.* nisi confirmatio ex curia feudali, cum justitiæ administratione combinata, profecta, hanc speciatim clausulam, instrumento obligationis insertam habeat: Confirmiren nicht allein diesen Contract, sondern consentiren auch in die darinnen geschehene Verpfändung als Lehns-Herr, alias enim, combinata licet cancellaria feudali cum justitiæ administratoria, consensus domini adhuc specialiter requirendus erit. HORN. *Jur. feudal. Cap. XIX.* §. 4. WERNHER. *P. II. obs. 467.* Ita enim *ordin. Proc. Sax. El. Tit. 46. §. 3.* cavet, daß die blosse Confirmation eines Contracts, wenn gleich dieselbe auf alle Puncten, und Clausuln gerichtet, vor keinen Consens gehalten werde. *Vid. tamen* SCHILTER *Prax. Jur. Rom. Exercit. 32. §. 16.* Idem est si dominus territorialis consenserit in hypothecam feudi, citra domini directi consensum, illius enim consensus plene non fuit necessarius Dn. LYNCKER. *Dec. 792.* neque feudale debitum efficit. Similiter & agnati, ex sola suscriptione chirographi, in debitum consensisse non præsumuntur, cum ut testes potius, quam juri suo renunciantes actui interfuisse credantur STRUV. *Jur. feud. Cap. XIII. th. 19. n. 1.* Nisi specialiter ad consentiendum vocatos fuisse, probetur, hinc enim ipso facto colligitur voluntas & consensus *arg. L. 32. π. de leg. L. 28. π. Mandat.* Necessarium hinc est, ut agnati instrumentum subscribant, ubi vel exorati ipsorum consensus mentio facta, vel subscriptioni nominis verba addant als consentirende agnaten. Cæterum cum supra monitum, vasallum in feudo novo posse, citra consensum agnatorum, ex consensu tamen domini disponere, eo, quod nulla eorum in feudo novo sit successio *II. Feud. 11. & 18.* ita si feudum oppignorare velit, potest id facere, non requisito agnatorum, implorato tamen domini directi consensu. Hunc enim si omiserit,

Confirmatio debiti feudalis non involuit consensum.

Limitatio.

Feudum novum oppignoratur sine consensu agnatorum cum consensu tamen domini.

omiserit, hypotheca nec ratione agnatorum proxime succedentium, nequidem quoad fructus fendi valet.

§. VI.

Principes imperii partem feudi sine imperatoris & agnatorum consensu oppignorant.

Oppignorandi hanc facultatem, Vasallo absque superioris, & agnatorum simultanee investitorum consensu, libere a nobis vindicatam in fendis maxime regalibus obtinere non pauci contendunt; & regni Germanici status, vi eorum, quæ capite VII proposita sunt, feudi, & principatus partem, absque Cæsareæ Majestatis autoritate, & sine consensu agnatorum, in crediti securitatem, transferendo etiam possessionem, pignoris vinculo obligare posse, eoque constituto omnes plane agnatos, aliosque feudi successores, neque simul allodii hæredes existentes, ad exsolutionem debiti, ab antecessore contracti, valide obstringi sentiunt. Testatur de hoc, & quidem ex consilio quodam manuscripto FRANTZKII, STRUVIUS *Jur. Feud. Cap. XIV. th. 29. n. 5.* HORN. *Jur. Feud. Cap. XIX, §. 10.* Non minus de observantia quotidiana, villas, pagos, inscio imperatore, a principibus, nemine reluctante, oppignorari. ITTERUS *de feud. imper. Cap. XXIII. §. 5.* Ex hoc fundamento quod princeps successor antecessoris sui facto, etiam in feudo ex pacto & providentia, contravenire non possit, ob debita antecessorum contracta, constitutasque ab iis hypothecas, decernuntur mandata sine clausula, ad dimittendum bona hypothecata, quemadmodum hac de re præjudicia cameralia habet. KLOCK. *Conf. Tom. III. Conf. 155. n. 113. seq. add. tamen* GOTHARD NUNROD. *in Discept. for. an successor in primogenio teneatur de exsolvendis antecessorum debitis.* TITIUS *Spec. Jur. publ. L. IV. Cap 5. §. 7.* Alii aliter sentiunt, nec sine causa vid. Nunerod. l. c. Sane illimitatum principi imperii, in præjudicium agnatorum, citra ipsorum, & imperatoris consensum disponendi, & æris alieni, præsertim, non urgentibus feudi debitis, contrahendi potestatem concedere, absonum foret. Parnin enim, vel plane nihil, quandoque successoribus fendi superfuturum esset, si profusæ liberalitati, ob exponi non posset. Agnati nimirum & simultanee investiti, testante hac de re observantia, efficere possunt, ut, implorata autoritate cæsarea, principi certi reditus saltem ex principatu, ad familiæ digni-

dignitatem sustentandam, assignentur, reliquum vero in solutionem æris alieni impendatur.

§. VII.

An liceat imperatori, alienare res imperii?

Hac in parte statuum imperii potestas, ipsius augustissimi imperatoris, laxior deprehenditur, eo restricta imperatorum nostrorum libertate, ut ne minimam quidem imperii partem, absque statuum consensu, oppignorare queant. Ita enim habet Capitul. invict. nostri Caroli VI. art. X. Weiter wollen wir dem Heil. Röm. Reich, und dessen Zubehörungen nicht allein ohne Wissen, Willen und Zulassen der Churfürsten, Fürsten und Stände sämtlich nichts hingeben, verpfänden, veräussern oder beschwehren ꝛc. Antiquioribus equidem temporibus, liberior, immo fere illimitata fuit oppignorandi potestas. Quo autem tempore hæc incœperit? incertum est, sufficit hic annotasse, usque ad tempora Caroli V. Cæsares adeo faciles fuisse, in oppignorandis rebus imperii, ut civitates Suevicæ & Rhenanæ peculiaribus privilegiis, ne oppignorari possent, sibi prospexerint. HORN. *Jur. publ. Cap.* 43. §. 6. *ibique citati.* Interdum tamen & consensum principum adhibuerunt teste LEHMANNO *Chron. Spirens. L.* 5. *Cap.* 105. LIMNÆVS *ad Capit. Caroli V. p.* 225. quem omni tempore, necessarium, in oppignorandis imperii rebus, quandoque & Cæsaribus denegatum fuisse, contendunt HERMANN. CONRING. *de finib. imper. Cap. XIX.* §. 22. GVNDLING. *de Jure oppign. territ.* inferente hoc illo privilegio, quod Carolus IV. imperator civitati Francofurtanæ a. 1366. dedit, ubi habentur sequentia, daß sie vor uns, und das Reich, niemand pfandbar seyn sollen, ꝛc. ꝛc. It. und wollen und sollen auch Wir, und das Reich, keine Pfand-Brieffe über sie geben, und wo wir Pfand-Brieffe übergeben, (non adjecta mentione statuum) so sollen die Brieffe keine Krafft haben. *Vid.* LVNIG. Teutsch-Reichs-*Archiv. Part. Spec. Cont. IV.* Absatz. 14. *n.* 53. *p. m.* 580. Quemadmodum & inter alias, exauctorandi imperatorem Wenceslaum, causas, electores, & hanc allegabant, quod temere, & perniciose multas, ad imperium pertinentes terras, alienaverit. VRSTIS. *Scriptor. rer. german. Tom. II. p. m.* 180. GLADOV. Reichs-Historie, *L. VI. Cap. VI.* §. II. Prostant interim quam plurima oppignatarum imperii rerum exempla.

exempla. Sic Philippus Imperator oppignoravit monasterium Urspergense Bartholdo de Nisen 1197. absque statuum consensu. LVNIG. *Spicileg. Eccles.* **Teutsch. Reichs-Archiv.** *Cont. III. p. 673. seq.* MART. CRVSIVS, *Annal. Svevic. P. II. L. 12. p. m. 558.* Fridericus monasterium civitati Northusæ GEVVOLD ad WIGVL. HVNDII *Metrop. Salisburg. Tom. III. tit.* **Ober-Mün-ster.** Et quæ sunt alia *Conf.* STRVV. *Jur. Publ. Cap. XII. §. 36. add.* STRAVCH. *de oppignorat. rer. imp. §. 22. & 27.* GVNDLING. *de Oppignorat. territor.*

§. VIII.

An detur hypotheca feudi tacita?

Hactenus de hypothecis, & pignoribus, in feudo, citra domini, & agnatorum simultanee investitorum consensum, expresse constitutis. Tam de tacitis videndum, an hæ, sicut in allodialibus, ita & in bonis feudalibus locum habeant? Peculiarem STRYKIVS conscripsit disputationem *de hypothecis tacitis in feudis Germaniæ*: ad quem lectorem, plura cupientem, remittimus. Hic monuisse sufficiat, eas regulariter in feudis exulare, concedunt tamen easdem in Saxonia, præsertim Electorali, certis in casibus Doctores. Ita nimirum tribuunt ex consuetudine magis, quam lege peculiari, domino feudi directo hypothecam tacitam in feudo intuitu, & ratione laudemii debiti STRVV. *Jur. feud. Cap. X. §. ult. & aut. ibid. cit.* a quibus tamen dissentit WERNHER. *Obs. P. I. obs. 328.* Ex *Ord. Proc. Sax. Elect. §. 9. & 10.* conceditur hypotheca legalis tacita in subsidium illis, qui eam & in allodiis habent, creditoribus, qui expressam habuere feudi hypothecam legaliter constitutam, non existentibus, & illorum debitis exsolutis. Speciatim illa gaudet mulier, ratione dotis in subsidium, & præfertur creditoribus, anteriorem expressam non habentibus, ita ut exerceat hoc intuitu jus retentionis l. c. §. 11. 12. non minus pupillis & minoribus hypotheca tacita in rebus tutorum, curatorumque prospectum est §. 14. quod, an indistincte, sive tutores & curatores a domino feudi constituti sint, nec ne? inter CARPZOVIVM *de Oner. Vasall. Dec. 3. pos. 9. n. 26.* & BERLICHIVM *P. II. Conclus. 31. n. 20.* controversum est. Posterioris sententiam olim Scabinis Lipsiensibus adprobatam fuisse refert RIVIN. *En.*

ad

ad Ord. Proc. Saxon. Tit. 45. En. 9. atque requirit, aut pupillo minorive tutor & curator a domino feudi constitutus esse debeat, eo, quod confirmatio ipsius reputetur pro consensu. Dictæ autem ordinationi Elect. Proc. Sax. magis convenientem putamus esse CARPZOVII sententiam, cum ibidem ob similem juris favorem ecclesiis, scholis, aliisque piis causis hypotheca tacita & in bonis feudalibus administratorum tributa, ubi nullatenus dominus directus ejusque confirmatio concurrit. *Vid. alleg. Ord. Proc. El. Sax. 60.* Cæterum in Ord. Process. Saxon. noviss. §. 6. & hæ sublatæ sunt, adeo, ut, exceptis præstationibus, in quantum hæ secundum dispositionem *Dec. El. nov. 32.* ex feudo domino præstantur, jus hypothecæ, nisi quod expresse constituitur, cesset.

CAPUT IX.

DE SERVITUTIBUS FEUDO IMPOSITIS SINE DOMINI ET AGNATORUM CONSENSU.

§. I.

PErgimus ad servitutis constitutionem, quæ inter alienationis species *L. fin. C. de reb. alien. non alien.* relata, regulariter interdicta habetur, potestate meliorandi quidem, haudquaquam vero deteriorandi feudum; vasallo relicta. *2. Feud. 8. §. 1.* Verum enim vero, quamquam respectu domini, agnatorum, & in Saxonia simultanee investitorum servitus, qua proxime successuris præjudicatur, privata vasalli autoritate constitui nequeat: certum tamen, omnique dubitatione exemptum est, concedi a vasallo servitutem posse, quæ expirante constituentis, descendentiumque ejus, ac hæredum jure, simul expirat, prout ex textu *2. Feud. VIII. §. rei autem* conspicitur. LUDWEL. *Synops. Jur. Feud. p. 383.* VULTEJ. *L. I. Cap. X. n. 50.* Neque alienatio hæc hunc habet effectum, ut vasallus, pro parte, servitiis debitis se subtrahere queat, sibimetipsi quidem, aliis vero per actum huncce minime præjudica- *Servitus in feudo ad tempus citra domini & agnatorum consensum recte constituitur.*

re potuerit. Futilia sunt, quæ hac occasione disputare solent doctores, an ejusmodi servitus veram habeat servitutis naturam, an vero saltem jus quoddam servituti simile constitutum sit? quod plerique contendunt ob *L 4. π. de servitutib.* qua, servitutem naturam & causam perpetuam habere debere, neque ex certo tempore, vel ad certum tempus constitui posse, innuitur, BITSCH. *2. Feud. VIII. p. 257.* HERM. VULTEJ. *L. I. de feud. Cap. X. n. 40.* Pertinet huc & *l. 15. §. fin. π. de Usufructu*, integrum, & plenum dominium, ad servitutis concessionem requirens, quod cum in vasallo exulet, neque hinc servitutem constituere posse videatur, cum exinde regulam forment, qui nec alienare, ille nec alienanti consentire possit. Optime hosce confutat HORN. *Jur. Feud. Cap. X. §. 11.* Præter enim, quod vasallorum jura, cum usufructuariorum conditione, licet & illi quandoque usufructuarii dicantur *2. Feud. 23. in fin.* per omnia non æquiparanda, neque argumentum ab his ad illos sumendum, cum alias nec dominus, consentiente vasallo, servitutem prædio feudali imponere possit, quod falsum; ita subtilitatem arguit nimiam, si illum, qui jus in re habet, jure suo in aliqua parte cedere non posse asseras, & cum vasallus jus reale & dominium utile habet, si servitutem feudo imponi patiatur, servitus illa non tam a persona vasalli, quam ab ipso feudo, quamdiu vasallus ejusque hæredes vivunt, deberi, hincque & a quolibet tertio possessore singulari, vivente vasallo, ejusque hæredibus vindicari posse, credendum puto. Ita enim *II. Feud. VIII. §. rei autem*, non de personali quadam obligatione, sed de servitute, tanquam jure, ipsi feudali prædio inhærente loquitur. Verba sunt: *Nam & servitutem, eidem rei debitam, potest petere & retinere. Quid ergo, si pretio vel dolo aut injuria servitutem rei beneficiariæ imponi patiatur, & ad dominium &c. &c.*

An vera sit servitus, quæ ad tempus conceditur?

§. II.

Perpetua quandoque fit servitus a vasallo privatim constituta.

Accidit interdum, ut servitus, privata vasalli autoritate constituta, perpetuam & ordinariam servitutum adsciscat naturam, id quod fieri solet, si feudum cum consensu domini, & agnatorum, vel etiam absque eo, in casibus feudi alienabilibus, supra expositis, cum jure servitutis, alteri jam concesso, alienetur, emtor enim rem accepit

accepit talem, qualem contractus tempore oneribus gravatam conspexit, quo inprimis faciunt *L. 67. π. de contr. emt. L. 20. π. de acquir. rer. dom. L. 3. C. de Servitut.* quod etiam ad dominum feudi directum, agnatosque, qui jure protimiseos, & retractus utuntur, eo quod retrahens per omnia, eandem conditionem præstare teneatur. HORN. *Jur. Feud. Cap. X. §. 5.* extendit, quamquam, eodem monente, alii dissentiant. Dominus nimirum omissa protestatione, neglectaque juris sui reservatione, emtorem de feudo, cum adjectis oneribus & servitutibus investiens, alienationem adprobasse, servitutemque agnovisse præsumitur. Quod vero servitutem, præscriptione ab extraneo acquisitam, vivoque adhuc vasallo impletam, attinet, feudo ad dominum, vel agnatos devoluto, negligentia prædefuncti antecessoris ipsis, hæredes non existentibus præjudicium non infert, sed omni onere liberatam recipiunt rem feudalem, præsentibus licet omnibus præscriptionum requisitis, cum jus dudum quidem, ipsis quæsitum, ejus tamen exercitium, mortuo demum vasallo pateat, cui non, accedente nisi & ipsorum culpa derogari potest. *arg. L. 1. §. 2. Cod. de annal. Except. II. Feud. VIII. pr. add.* MICH. GRAEF. *de reg. Jur. non valenti agere non currit præscriptio Cap. 2. m. 2. disp. Tubing. 1718. habit.* Concedit autem vasallus servitutem non modo realem, sed & personalem, quoad vitæ tempora; & valide constituit usumfructum, non minus ac usum in prædio feudali, si bona servitiis præstandis habeat sufficientia *Anton. disp. 9. §. 5. lit. ult.* HORN. *Cap. X. §. 8.* STRUV. *Cap. XII. aph. 7. n. 2.* nec intervertitur hac ratione nexus vasalliticus inter dominum, & vasallum intercedens, aut domino ratione servitiorum affertus præjudicium, cum usufructuarius, vasallo forsan bonis lapso, ad præstationes feudales adstringi, aut si peculiare domini, in persona vasalli, interesse versetur, ad feudum restituendum compelli queat.

§. III.

Servitus a judice imposita, est perpetua, licet judex non fuerit dominus feudi.

Contigit interdum, ut servitus prædio feudali, inter duos vasallos litigantes, in judiciis divisoriis, autoritate judicis imponenda, ubi quæstio existit, an, si judex ordinarius non simul sit dominus feudi, citra ejus consensum, & insciis agnatis, servitus imposita valeat?

valeat? Sane textus *II Feud. 43.* ejusmodi feudi servitutem, etiam in præjudicium domini directi, si feudum postea aperiatur, validam pronunciat, modo vasallus egerit bona fide, neque fraudulenter, cum adversario colluserit. Requirit insuper STRYK. *Exam. Jur. Feud. Cap. X. qv. 7.* competentiam judicis, & intuitu feudi, cum acta coram incompetente judice sint ipso jure nulla.

CAPVT X.

DE SVBINFEVDATIONE VASALLIS PERMISSA.

§. I.

Subinfeudatio jure feudali permissa.

SVbinfeudationem, quam in germanice vocant die Affter-Belehnung, jure meritoque ad alienationem referendam esse, nemo non facile comprehendit. Per hanc quippe jus vasallo in feudo competens, cum transferatur, haud immerito admiratur CLARVS *recept. Sent. §. feud. qv. 32. n. 1.* VULTEJ. *L. 1. Cap. 10. n. 85.* solam hanc, exclusis reliquis alienationis speciebus, Vasallo interdictam haud fuisse *2 Feud. III. §. 1. 2. Feud. XXVI. §. beneficium, Jur. feud. Alemann. Cap. 30. ibique* SCHILTER. *art. 15. 2. Feud. pr. 2. Feud. 34. §. similiter.* Sive enim respicias, quod si gratis constituatur, vasallus, deficiente allodio, debitis feudi præstationibus se reddere queat inhabilem, vel etiam attendas, si pretio interveniente fiat, facile, sub specie infeudationis, emergere queat palliata venditio, nullam certe deprehendis disparitatis rationem, qua præsertim suadente, subinfeudatio a prohibitionis regula excipienda fuisset. Accedit quod majus quondoque domino per subinfeudationem inferatur, & inferri queat præjudicium, quam per servitutis & hypothecæ constitutionem. Quibus argumentis & *Illustris* THOMASIVS permotus fuit, ut crederet, neque olim neque recentioribus, & nostris præsertim temporibus subinfeudationem totius feudi dici posse, fuisse, & nunc esse licitam. *Vid.*

ispút. de cauf. probib. feud. alien. §. IX. & XXXIII. Verum cum e hac subinfeudandi potestate allegati feudorum textus abundè tis testentur, non est, quod de veritate assertionis hujus, hactenus, omnibus feudalium legum interpretibus receptæ, dubitemus. ompetit autem ista subinfeudandi potestas, omnis licet alienatio vestiturarum pactis fuerit interdicta, non facta in specie subinfeutionis mentione, propter ordinariam feudorum naturam, quam odlibet feudum habere præsumitur. VULTEJ. Cap. X. n. 86. ld. LUDWELL. p. 397.

Omnis licet alienatio investituræ literis interdicta fuerit.

§. II.

Quæ vero, ut de valido subinfeudationis actu constare pos-, nostrum jam non est, altius repetere, cum juris feudalis interetes, iique qui expresse circa hanc rem commentati sunt, exacte tis hæc nobis concessere declarata. Hic paucis retulisse juvat, dem conditionibus, neque melioribus, intuitu domini deteriori-s, personæ æque habili, ad servitia, absque dolo, bona fide, subindationem suscipi debere. Hinc si vasallus feudum in potenorem, ecclesiam, deferre, aut subvasallo potestatem alienandi, & sponendi concedere vellet, hæc vergere posset in detrimentum omini, ideoque neutiquam subsistit. Aliis vero conditionibus bfeudum constitui non posse, exinde præsertim patet, quod sendi vasalli jus a primo dependeat, qui primis investituræ pactis strictus ab iis neque per aliam personam recedere potest. Sed non hic dolus subsit, si in jure feudali Alemann. Cap. 122. Sec. num. CHILTERI, vasallo cautela suppeditatur, ut nimirum hæredibus stitutus, si desideret, ne feudum forte domino post mortem aatur, quod debeat convasallum suum, vel etiam majoris dignita: hominem de eo subinfeudare? Certe SCHILTERUS comentator optimus dictam sanctionem constitutionibus imperatos Friderici & Lotharii repugnare & iniquam esse, sequentibus guit. *Sed quicquid tandem sit, de hac cautela vix arbitror in axi eam usum & efficaciam inventuram. Certe bonam fidem hic sidero. Deinde, etsi jure veteri hoc ita observatum fuerit, tamen st constitutionem Friderici de probibita feudorum alienatione, & nc cautelam inter probibita ista machinamenta nummeratum iri, censeo.*

Requisita subinfeudationis.

Examinatur Cap. 122. Jur. feud. Alemann.

censeo. SCHILTER. *l.c. in fin.* Cui & nos suffragamur. *Vid. tamen: illustr.* THOMASIUS *Disput. de feud. alienab.* §. 5. Minime vero dolose statim subinfeudationem susceptam fuisse, aut sub colore investiturae, emtionem venditionemque intercessisse dicendum est, si pretium, illudque valorem feudi exaequans, aut alia quaedam res intervenerit; honorarii enim, aliave gratae mentis testatio non statim infert donationem, aliumve contractum LYNCKER. *Cent. III. Dec. 261.* HORN. *Jur. feud. Cap. XIX.* §. 12. KOHL. *de subfeud. Cap. II.* Immo domino expedire videtur, si vasallus ex causa subinfeudationis, si & alia adhuc possideat feuda, accipit pecuniam, nam ditiorem, & consequenter, praestandis servitiorum oneribus, magis idoneum eum recipit, quamvis judicis arbitrio committendum esse putem, ut videat, an sub simulata permissa feudificatione, prohibita quaedam alienatio fuerit peracta.

§. III.

An totum feudum, subinfeudari possit?

Disquirendum nunc est, totumne feudum, an vero ejus saltem pars, a vasallo, absque domini consensu, in alterum subfeudi nomine transferri queat? Quod partis specialis subinfeudationem spectat, in hoc omnes fere JCtorum sententias conspirantes, in diversa vero abeuntes eas vides, si de totius feudi subinfeudatione quaestionem instituas. Cum textus *2. Feud. IX. pr. & 2. Feud. 34. §. similiter*, evolvamus, generaliter subinfeudationem vasallis ibidem permissam esse observamus, nec hic particularem feudi constitutionem solummodo in censum venisse, probari potest, ideoque nec subinfeudandi potestatem, vasallis ibidem relictam, restringere, sed hoc quoque casu, eorum jura intacta servare, aequum judicamus. Excipienda tamen sunt feuda imperii regalia, quae inscio, invitoque imperatore, & sine imperii consensu, nexum feudalem immediatum deferere, ac mediatum assumere merito prohibentur. HERTIUS *de feud. oblat. P. II.* §. 9. MENOCH. *Consf. L. 1. Consf. 32. n. 1. seqv.* Enimvero sicut feuda haec imperii intuitu, & contemplatione dignitatis, ab imperatore conceduntur, cujus splendorem ea sustinent, ita totorum territoriorum subinfeudatio, salvis licet imperii, dominique immediati juribus, inscio

Feudum imperii sine imperatoris & statuum consensu subinfeudari nequit.

tamen

tamen imperatore suscepta, ipsi imperatori pariter, ac reliquis statibus noxia futura esset, dum status statum supprimendi, aut alia ratione nocendi largissimam nancisceretur materiam, quod regiminis germanici sanctionibus haud quaquam convenire, certum est. Equidem, si ad medii ævi tempora respiciamus, ubi omnia fere imperii nostri territoria, & feuda fuere alienabilia, quod evidenter satis, tot pacta fraternitatis, ac ganerbinatus, ut plurimum absque cæsaris autoritate inita, evincunt, testimoniis quam plurimis comprobari potest, universi etiam territorii subinfeudationem valide processisse, cujus rei exempla siquis exhiberi desideret, adspiciat regem Bohemiæ, quem tot principatus, tot comitatus, aliaque feuda regalia, immediato quondam nexu imperio subjacentia, nunc sequuntur *Conf.* PET. LVDWIG *de primo foro subvas. imper.* ut alia reticeam: quæ omnia fere, absque cæsareæ majestatis consensu, primo oblata, deinde concessa fuere. Nec desunt teste ITTERO *de feud. imper. Cap. 22. §. 5.* recentiorum temporum exempla. Sic comitatus Falckenstein, Lotharingiæ Duci collatus, subfeudi lege comitibus Falckensteiniis a duce fuit impertitus, salvo jure imperii. Sed an absque imperatoris statuumque consensu? valde dubito. Vix itaque hodie feuda regalia cum superioritate territorialia conjuncta, v. g. ducatus aut comitatus subinfeudationem, sine imperatoris statuumque consensu & indulgentia procedere posse, crediderim, licet feudi regalis partem, absque insigni ejus detrimento, in subfeudum conferri haud prohibeatur. BRVCKNER. *de territorio particul. subinfeudat.*

Medii ævi temporibus etiam integrum territorium in subfeudum concedebatur.

§. IV.

Quemadmodum vero feuda imperii commode subfeudi conditionem, absque speciali imperatoris imperiique consensu adsumere non possunt, ita & legibus veterum germanorum, feuda castrensia, die Burg-Lehn speciatim excepta, neque unquam in subfeudum, ob peculiarem plane eorum indolem, conferri poterant, accedente nisi domini directi consensu. Ita enim habet *textus jur. feud. alemann. Cap. 136.* Burg-Lehen mag nymand hingeleihen, der es zu Lehn hat. Lihet aber der Burger sin Burg-Lehne

Neque feuda castrensia veterum germanorum legibus.

Lehne einen andern, wenn der das innen wurd, so mag er ihm gebieten mit Urtheil, daß er in sechs Wochen sin Lehn wieder neme. Und tut er das nüt, er mag ihme mit Urtheil das angewünnen, als das Lehn-Recht sint, stirbet der Burger, eb dis geschehn, und het der belehnte Mann das Gut in sine Gewer nach Lehns-Rechte, ohne Rechte wiedersprechen herbracht Jahr und Tag &c.&c. Involvunt enim insignia hæc majestatis jura, jus belli, & jus circa munitiones, tam exstructas, quam extruendas, soli imperatori & statibus, vi superioritatis territorialis, vermöge der Landes-Herrl. Hoheit, competentia, quæ privato, nisi ex speciali privilegio adscribi non possunt, quo spectat, quod in Sächßl. Land-Recht, *L. III. art. 66.* legitur, Mann muß auch keine Burg bauen, noch Stadt vesten mit Blancken, noch mit Muhme, noch Burge noch Thünne byen Dorff machen, ohne des Land-Richters Orlub &c.&c. Vasallorum castrensium personæ, die Burgmänner, industria eligebantur, quorum officium erat, ipsa inhabitare castra, iisque securitatem procurare, exceptis iis, qui ledige Burgmann dicebantur.

Differunt a feudis castrensibus feuda castri.

Cæterum optime notat SCHILTER. *Comment. ad jus feud. alemann. Cap. 136. cit.* feuda castrensia distinguenda esse a feudis castri, hoc est quando aliquis de castro investitus est, quod feudi recti naturam habet, illud contra si quis non de ipso castro custodiendo investitur, sed de re alia aliqua, vel immobili, vel quantitate, & annua præstatione, ut castrum certum defendat. Similiter & veteri Germanorum jure feuda Burgimagistri, quæ jus feudale Saxonicum *Cap. 41. §. 9.* appellat scultetica, die Schultzen-Lehn in subfeudum concedi prohibebantur, ceu notat *textus Jur. feud. Alemann. Cap. 141. seqv.* Lehen zu Bürgermeisterschafft geliehen, erbet an eines Burgermeisters Sun, jedoch so darbet er des Burgschiltes, und volgt damit an einen andern Herrn. Er mag aber des Guths nüt hingeliehen, er mag auch keinen Herrn versprechen, wie nieder er ist, daß ist davon, daß er des Heerschiltes darbet. Ib. *jur. Sax. all. Cap. 41. §. 9. feudum in villa ad sculetiam collatum hæredat scultetus in suum filium, quamvis careat scuto bellico, & sequitur ipsum ad alium dominum, & non potest illud alteri conferre &c.&c.*

Nec feuda sculterica subinfeudari possunt.

§. V.

§. V.

Cœterum quamdiu ſubfedum ſubſiſtat, non conveniunt inter ſe doctores: quidam, pervulgarem juris canonem *Leg. 31. π. de pignoribus*, ſecuti, reſoluto jure dantis, & conſtituendis, jus conſtituti expirare, hic quoque contendunt. STRYK. *Ex. Jur. Feud. Cap. XIX. qv. 31.* Quod quidem quoad agnatos, neque defuncto hæredes exiſtentes, aut in ſubinfeudationem non conſentientes, ambabus largimur manibus, quibus quippe jus, in prima inveſtitura legitime quæſitum, per talem ſubinfeudationem interverti haud potuit VULTEJ. *de feud. L. I. Cap. X. n. 144.* STRYK. *l. c. qv. 32.* Minime vero juri protimiſeos, etiamſi pretium intervenerit, alias ipſis, vivo adhuc vaſallo, in feudo alienato competenti, locum concedimus, quamvis enim vera interceſſerit alienatio, jurisque translatio fuerit intentatata; cum tamen per eam vaſallus ſubinfeudans, nexu vaſallitico, quo immediato ſuo adſtrictus eſt domino, non eximatur, & invitus agnatum, qui feudum ab eo, ſubfeudi nomine, recognoſcere vellet, contra communem juris beneficiarii diſpoſitionem recipere cogeretur, ideo protimiſeos juri, quod extincto ſolummodo vaſallagio, ſibi vindicant agnati, ſubſcribere haud poſſumus. Quod autem jus retractus, vaſallo ejusque deſcendentibus mortuis, attinet, illud reſpectu domini, qui datis literis inveſtituræ, ſubinfeudationem non prohibuit, ceſſat, ut devoluto ad ipſum tanquam antiquiorem dominum, exhibitis debitis feudi præſtationibus recognoſcat, ratum habere teneatur ANTON. *Diſp. feud. diſp. 3. §. 3. lit. b.* THOMAS. *Sel. feud. de libri de benef. uſu §. 34-38.* FACHINÆUS *L. VII. controv. 52.* Eandem enim, ſi præſtat conditionem, non eſt, quod dominus conqueratur, id quod dubio caret, ſi res ſubinfeudari ſolita, aut hæreditas allodialis domino ſimul delata fuerit. HARTM. PISTORIS *L. II. qu. 44. n. 6.* STRUV. *Jur. feud. Cap. XII. th. 13. n. 4. Diſſentit.* WERNHER. *P. VIII. obſ. 464.* Quod ſi ſubvaſallus feudum ſine domini immediati conſenſu alienaverit, id domino immediato etiam aperitur *arg. II Feud. 34. §. 2.*

Subfeudum, quousque duret?

An jus protimiſeos & retractus locum habeat prædio feudali ſubinfeudato?

CAPUT XI.

DE COMPROMISSIS ET TRANSACTIONIBUS, QUAE FIUNT ABSQUE DOMINI DIRECTI, AGNATORUM ET SIMULTANEE INVESTITORUM CONSENSU CIRCA FEUDUM.

§. I.

Licet compromittere de feudo, inscio domino.

DEscendimus ad compromissa, examinaturi, an vasallis citra domini directi, & agnatorum simultanee investitorum consensum, licitum sit, definiendas controversias feudales, compromissa inire? Textus *2 Feud. 26.* §. *Si vasallus de benef.* id manifeste sequentibus evincit. *Si vasallus de beneficio suo agat, vel conveniatur, sive obtineat, sive non, licet ignorante domino fiat, omni tempore firmum erit illud judicium, nam & recte transigere poterit, nec quod accepit transactionis nomine, feudum erit.* Non minus textus *II. Feud. 34. Si inter pares duos, de aliquo beneficio controversia sit, quorum uterque suum feudum proprium esse dicat, sive asserant eundem investitorem, sive diversos, coram judice, vel arbitro finiatur, adde 2 Feud. 15. pr. 2 Feud. 43.* Id autem procedit non solum, quando inter ipsos vasallos, unum feudi recognoscentes dominum, lis intercedit, hoc enim casu nullum præjudicium domino feudi metuendum, cum uterque vasallus jamjam fuerit adprobatus, sed etsi controversia mota vasallum & extraneum spectet TITIUS *Jur. priv. L. XI. Cap. X. §. 5.* STRUV. *Jur. feud. Cap. 16. §. 8.* ut adeo quo modo, judicis ordinarii jurisdictionem per privatum evertere licet compromissum, eadem etiam via domini directi competentiam, in causis vasallorum controversis alias fundatam, per arbitri electionem evitare liceat, eo præsertim casu, quo deficiente judicio feudali, ad ordinarium loci magistratum recurrendum esset ANTON. *Disp. IX. §. 11. lit. f.* cum arbitria ad instar judiciorum sint redacta *L. I. ff. de recept. qui arbitr.* atque ordinarii

narii judicis competentia tunc demum se exerat, quando vel transactionibus, vel compromissis partium, res controversa non deciditur. Dissentire equidem videtur STRYK. *Ex. Jur. feud. Cap. XXV. qu. 11.* Vasallum, eo solummodo casu, arbitrum eligere posse, si causa ad ordinarium judicem spectet, haud vero in causa feudali, per textum *2 Feud. 55. §. 2. in fin.* ibi *Si inter duos vasallos de feudo sit controversia, domini sit cognitio & per eum terminetur*; Verum textum huncce de judice competente, si causa in judicio publico, via ordinaria determinanda, atque ventilanda sit, intelligendum, ut nimirum vasallus causam feudalem ad judicem ordinarium loci trahere nequeat, haud vero, si per modum compromissi, & quasi privatim per arbitrum litera sopitam esse velint, nemo non facile perspicit, id quod textus *2. Feud. 34. pr.* manifeste satis evincit, quo hypothesis Strykiana uno quasi ictu, evertitur. Neque ea tantum obtinent in definiendis juribus circa feudum, & fructus ejusdem, verum & secundum allegat: textus, in iis, quæ ipsius feudi alienationem, & dimissionem respiciunt, cum omnis plane excludatur animus dolosus, & præsumtio, vasallum feudum nunquam absque sufficienti causa alienaturum, hic adsit validissima. Neque præjudicium domino feudi infertur, arbitro partium placitis electo, quamvis enim vasallus, ex compromisso dimittens feudum, omnem penitus exuat qualitatem vasallitiam, adeo, ut transactione coram arbitro inita, pecunia pro feudo accepta, feudi naturam non induat, & loco prædii dimissi, a domino recognoscenda non sit, integra tamen huic servantur jura contra novum vasallum, quem fidelitatis vinculo sibi obligatum tenet, eoque nomine servitia recte ab ipso postulat dominus. Si vero ut allodium a vasallo feudum evincatur, vel odio & tædio processus vasallus juri suo renunciare velit, denunciatione, & domini consensu opus esse puto, siquidem prolixitas processus, sumtusque forsan impendendi, justarum compromittendi, & transigendi causarum numero, in re tam magni præjudicii, haud comprehenduntur; feudo autem, ut allodium evicto, insignis domino infertur litis molestia, qui exceptionibus litis ingressum impedientibus, sibi consulere, atque processus incommodum evitare potuisset. Juri tamen ejus, omisso etiam consensu, non præjudicatur, cum plus

Objectio.

Resp.

Quamvis de feudo alienando agatur.

Limitatur.

M 2 juris

Vtilius est, consensum domini ad compromissa feudalia adhibere.

juris vasallus, quam ipse habuit, non potuit transferre. Rarius autem forte eveniet, ut vasallus, inscio plane domino, per arbitrum feudalem, vel etiam judicem ordinarium, feudum sibi auferri patiatur, cum proprium ejus versetur interesse, rem non privata suscepisse autoritate, & nulla ratione, omissa litis denunciatione, dominum ad evictionem præstandam adstringere possit. *arg. L. 56. §. 1. & L. 53. §. 1. π. de Eviction.* Quod si partes singulæ quædam, investiturarum literis comprehensæ, evincantur, facta licet litis denunciatione domino directo, cum nihilominus non teneri putat RIVIN. *Tit. 14. En. V.* ibique præjudicium adfert.

§. II.

Possessores feudorum imperii compromittunt absque Cæsaris consensu.

Hæc de feudis ignobilioribus. Sane &, quod feuda regalia attinet, eorum possessoribus liberum est, de iis compromittere ITTERVS *de feud. imper. Cap. XIII. §. 10. 11.* modo, si id fiat, monente Dn. STRYKIO *Disput. de arbitro feudali Cap. II. n. 35.* personæ illustriores caveant, ne in arbitrum extra imperium, præsertim potentiorem, compromittant, ne incommodi quid imperio, ipsisque litigantibus exinde eveniat, quemadmodum & imperii principes, de feudo regali litigaturi, in cameram imperialem, sine speciali consensu imperatoris, compromittere non possunt; quia ejusmodi feudorum regalium controversiæ, jurisdictione camerali penitus exemtæ, & ad judicium imperii aulicum expresse restrictæ sunt. SCHWEDER. *Jur. publ. Part. Spec. Sect. I. Cap. IX. § 10.* ITTER. *l. c. Cap. XV. §. 5.* Quæ lex, cognitionem controversiarum feudalium ad judicium aulicum restringens, frustranea esset, si in cameram, tanquam judicem prohibitum, compromittere, adeoque per indirectum, illud pro foro quodam in feudalibus competenti constituere liceret. Sane, & si super possessione litigetur, compromissariam juris dicendi potestatem cameræ imperialis fundatum non esse, asserit. ITTERVS *l. c.* cum non minori sæpius periculo de possessione, quam, de proprietate feudorum inter potentiores lis agatur, quamuis negandum non sit illud cessare si summariissimi quæstio ventiletur, adstipulantibus SIXTIN. *de regal. l. 8. n. 23.* BLVM. *Proc. Camer. Tit. 41. n. 4. & 9.* RHETIVS *ad I. Feud. 18. p. 43.* Neque, si de parte quadam feudi regalis

In cameram imperialem compromittere non licet.

galis lis agatur, in cameram compromitti posse, credendum est, quamvis enim ordinatione camerali Tit. VII. verbum gäntzlich, comprehendatur, militat tamen eadem ratio in parte ejusdem, quæ versatur in toto feudo. Immo si de re allodiali, majoris momenti, feudo regali incorporata, certandum sit, tutius erit, vel cæsaris consensum desuper impetrare, vel alios eligere arbitros.

§. III.

Cum arbitris compromissariis conveniunt fere austregæ conventionales, gewillkührte rechtl. Austräge, in quibusdam tamen distinctæ *Vid.* SCHILTER. *Exercit. ad π. XII. add. Disp. fratris* HEYDENREICHII *de austreg. convent. Ser. dom. Sax. Cap. I. §. 9.* A quibus rursum differunt austregæ ordinationis, coram illis, tanquam aliis arbitris compromissariis causæ feudales ventilantur; his autem prohibitam esse cognitionem controversiarum feudalium contendunt GAIL. *L. 1. obs. 1. n. 54.* SCHUBART. *de austreg. Cap. 5.* ITTER. *de feud. imper. Cap. XXV. th. 21.* adeo, ut ne quidem, quando de feudis minoribus inter vasallos lis intercedit, ea ad austregas ordinationis referri queant. Non equidem negandum est, doctorum aliquos, nec coram austregis conventionalibus ventilationem controversiarum feudalium fieri posse, contendentes, quos inter sunt Dn. LYNCKER *de Gravam. Extrajud. Cap. V. Sect. 1. §. 20. p. 412.* MYLER, *de princip. & stat. imper. Cap. 20. §. 17. aliique;* majori tamen, uti mihi quidem videtur, fundamento KLOCKIUS *Tom. I. Cons. 50. qu. 1.* contrarium defendit, eo quod non solum communi feudorum jure vasallis indistincte facultas hæc indulta VULTEJ. *L. 1. de feud. Cap. II. n. 3.* sed & praxi multisque exemplis comprobata fuerit, quo spectat respons. HIERON. SCHURFFII *Cons. Cent. II. cons. 53.* in causa Alberti Brandenburgici cum electore Saxoniæ de Burggraviatu Magdeburgensi, non minus compromissum in causa Montisferrat. quod refert MENOCH. *L. I. Cons. I. n. 258 seqv. & n. 322. seqv.* ubi simul & *Cons. 2. n. 302. 315.* variis ex rationibus demonstrat, tam firma esse statuum imperii compromissa, ut nequidem ab imperatore revocari queant. Comprobat sententiam

In quibusdam conveniunt austregæ conventionales cum arbitris compromissariis.

hancce nostram, juxta & aliorum ante nos, *illustris autor* des Europäischen Herolds *Tom. I. p. 923.* Ist kein Zweifel, daß Fürstenthümer auch vor die Conventional-Austräge gehören, wie aus denen Erb-Verbrüderungen zwischen Sachsen und Hessen, und andern pactis publicis der alten Chur- und Fürstl. Häuser mehr zu sehen rc. rc. *add.* HORN. *Jur. Publ. Cap. 56. §. 5.*

§. IV.

Transigere potest vasallus de feudo.

Sane & transactionem, majoris licet videatur esse praejudicii, vasallis jura feudalia indulgent. Ita enim habet cit. textus *II. Feud. 26. §. Si vasallus de beneficio suo agat vel conveniatur, sive obtineat, sive non, licet ignorante domino fiat, omni tempore firmum erit illud judicium, nam & transigere recte poterit nec quod accepit transactionis nomine, feudum erit.* Ex quibus adparet, vasallos lite dubia, ac incerta, neglecta omnium judicum autoritate, eosque cum extraneis & convasallis, bona fide transigendo, feudum pro circumstantiarum ratione, vel totum dimittere posse. *Vid.* & HAHN. ad WESENBEC. *tit. de Transact. n. 4.* STRUV. *Cap. XII. th. 8.* HORN. *Jur. Feud. Cap. XIX. §. 22.* TITIVS *Jur. priv. L. XI. Cap. X. §. 2.* Quam transigendi libertatem, vasallis competentem, nonnulli eo restringendam putant, ut feudi quidem conservandi, haud vero diminuendi, aut totum dimittendi potestatem vasallis largiantur; hanc tamen distinctionem citato feudorum textui plane contrariari, atque vasallum, transactionis nomine quid accipiendo, feudum dimittere posse, clarissima testantur verba *Conf.* BITSCH. *in Comment. h. l.* modo omnia agantur sincere, & actionis, vel exceptionis a vasallo motae eventus dubius sit, atque incertus. *L. 1. ff. de Transact.* TITIVS *jur. privato L. XI. Cap. X. §. 7.* SCHARFF. *Cent. II. Consf. 53.* Caeterum privatim inita transactio hunc saepius sortitur effectum, ut si ex causa perpetua, ac omnibus obstante, feudum evincatur, dominus agnati, & simultanee investiti jus succedendi perdant, quo tamen casu omnem plane eorum, quorum interest, notitiam excludere haud vellem. Non inferioribus autem solummodo vasallis, sed & majoribus imperii competit haec, sine caesareae majestatis autoritate, transigendi potestas, ut nimirum dominus feudi

Transactio privatim inita, quandoque domino directo et agnatis praejudicat.

Vasalli illustres non mi-

tencatur

teneatur investire eum, cui per transactionem feudum tale obvenit, de quo passim KLOCK. *Tom. I. Consf. 7. n. 114. 115. 116.* SCHOPPIUS *Thes. feud. Cap. II. Sect. 10. obs. 13. p. 436.* aliisque testantur. Evincunt & hoc exempla quam plurima, pactiones & conventiones de futura successione, ita tamen semper intelligendæ, ne alteri jus quæsitum auferatur. ***nus de feudo transigunt.***

CAPUT XII.

DE CONCESSIONE DOTIS ET DOTALITII IN FEUDO, QUATENUS ABSQUE DOMINI DIRECTI ET AGNATORUM CONSENSU FIERI POTEST.

§. I.

PErtinet ad species alienationis dotatio, quatenus feuda eam erogare solent, hinc cum præjudicium domini & agnatorum manifeste respiciat, absque eorum consensu regulariter fieri nequit. STRUV. *Jur Feud. Cap. XIII. th. 5.* Quod si consensus & confirmatio domini directi neglecta, feudumque, vel ejus pars fœminæ, dotis loco, fuerit assignata dotationem hanc non de ipsa feudi substantia, sed saltem de ejusdem fructibus capiendam esse, tradunt. WERNHER. *P. II. obs. 431.* STRYK. *Usus mod. pand. tit. de jure dot. §. 8. in fin.* Quid quod, ne hanc quidem dotationem, quoad fructus, nisi demum in subsidium, deficientibus bonis allodialibus, valere volunt. LYNCKER. *Res. 117. 419. & in Dec. Cent. 9. dec. 857.* Quandoquidem vero hæc saltem dotatio, mediante feudo facta *II Feud. 9. §. 1* prohibita censetur, qua vasalli jus plane extinctum, in aliam transfertur familiam, haud quaquam vero ea, qua salvis domino servitiis, defuncto statim sine descendentium prole vasallo, qui concessit dotem, feudum revertitur ad legitimos successores, nihil obstare videtur, quo minus afferamus, certo respectu & in bonis feudalibus dotes constitui posse. Quod mino- ***Certa ratione feuda fæminis in dotem dari possunt.***

minori dubio caret, si fœmina feudum, jure successionis ad se spectans, marito dotis loco attulerit *2 Feud. 13. & 17.* SCHARFF. *Consf. Cent. I. Consf. 28. n. 5. 6. 11.* ANTON. *Disput. feud. IX. §. 5. lit. d.* Siquidem dominus, fœminam scienter de feudo investiens, dotationem adprobasse præsumitur, eo quod felicitatem earum inprimis dotis opulentia respicere soleat STRUV. *Jur. Feud. Cap. XII. th. 5. n. 1.* Ast non simplici, & absque ulla limitatione capienda sunt hactenus dicta, si enim sub dotationis colore, venditio intercesserit, aut æstimatum venditionis gratia, maritus acceperit feudum, vel pactum de dote lucranda interpositum fuerit, dotatio in agnatorum præjudicium, quorum consensus cum domini ratihabitione conjunctus non accessit, subsistere nequit VULTEJ. *L. I. Cap. X. n. 60.*

§. II.

Si ad dotandas filias feudum ære alieno gravandum sit, facilius id procedit sine domini, & agnatorum consensu.

Hæc si de ipsa feudi substantia, vel etiam parte ejusdem quæstio veniat. Quod illam vero dotationem, quæ mediante pecunia ex feudo ita fieri solet, ut feudum eo nomine ære alieno gravetur, supra monitum fuit, vasallum etiam citra domini directi & agnatorum consensum, ad dotandas filias, sororesque æs alienum contrahere, feudumque hoc intuitu hypothecæ subjicere posse, hoc effectu, ab successores feudi dotem, ab antecessore legitime promissam, adimplere teneantur, quoniam dotandi debitum reale censetur RHETIUS *ad 1 Feud. I. p. 105.* Respicit autem vasallus, qui dotare devinctus est, in determinanda qualitate dotis, ad consuetudinem & mores illius regionis ubi feudum habet MÆVIUS *P. III. Dec. 364. med.* quod si ibidem, vel etiam pactis familiæ dedefinita non reperiatur, quidam domini feudi directi arbitrio relinquunt determinationem dotis, qui secundum conditionem, & dignitatem personæ & pro quantitate patrimonii, nec non valore feudi eam determinare solet, prout ex RAUCHB. notat VULTEJ. *L. I. de feud. Cap. X. n. 6.* Laxior autem dubio procul est, jure feudorum communi, parentis, circa dotationem filiarum, ex feudo noviter acquisito, potestas hic enim pretium, dimidiam valoris feudi partem, quin immo valorem totius feudi exæquans, filiæ in dotem concedere potest, modo dos intuitu masculorum non inofficiosa

ciosa deprehendatur, aliaque adhuc bona adsint. Jure vero Saxonico, quo sola investitura succedendi effectum, & jus reale, a die investituræ habuit, & in feudo novo dos in præjudicium proxime successorum, ultra quantitatem receptam, constitui haud potest. *Secus jure Saxonico.*

§. III.

Incidit hic qvæstio, an filiæ, si pater bona, jure allodiali possessa, postmodum feudi lege recognoscat, vel in comparationem feudi impenderit, majorem dotem, vel etiam legitimam, invitis agnatis simultanee investitis, postulare queant, quæ inter H. PISTORIS. *L. II. qv. 18.* & P. HEIGIUM *P. I. qv. 25.* JCtos agitata deprehenditur. Non equidem negandum est, parentes liberrimum, de bonis suis disponendi habere arbitrium, est tamen hoc ita limitandum, quatenus legitimæ haud infert præjudicium, cum enim eas absque causa legibus determinata, legitima, quæ alimentorum vicem habet, privare nequeant, illud neque per inofficiosam feudificationem fieri posse in aprico est, ut itaque filiæ legitimam ex feudo petere haud prohibeantur, quam sententiam H. PISTORIS *Const. El. inedit. 2.* comprobatam legimus *Vid. Disput. inaug. de prærogat. port. statutar. præ legit. ejusque comput. ex bon feud. novit. acquisit. §. 13, & 18.* *Possunt in jure Saxonico filiæ ex feudo noviter acquisito petere legitimam.*

§. IV.

Circa dotalitii constitutionem, nobilibus cum maxime usitatam, si quæras quid justum sit, atque obtineat, liberiorem laxioremque vasallorum, inprimis illustrium deprehendes potestatem. Jure feudali Saxonico haec fiebat olim per modum investituræ, & exprimebatur per verba, gedingen, leihen nach Gedings Recht, leihen zu der Frauen Leibe hincque domini & agnatorum consensus requirebatur SCHILTER *Jus Feud. Alem. Comment. ad Cap. 64. §. 5.* A quo jure, cum hodie dotalitium non amplius per investituram, sed per concessionem meri ususfructus fieri soleat, recessum est, ut neque consensus domini directi, nec agnatorum ad hoc requiratur. Jure feudorum alemannico feuda *Dotalitium jure feudal. Saxonico per modum investitura concedebatur.* *Dotalitium*

in feudo castrensi jure feudorum alemannico concedi non poterat.

castrensia inter alia singularia, & hoc habebant, ut non ipsi imperatoris consensu dotalitii loco concedi potuerint, teste SCHILTER *Comment. ad Jus Feud. Alemann. Cap. XXVI. §. XI.* Est autem dotalitium in compensationem bonorum dotalium introductum, & versionem in feudum semper supponit, qua non legitime probata, uxor, defuncto marito, dotalitium neque petere, neque constitutum retinere potest. Quamvis vero, probata illatione, versionem in feudum præsumi contendat WERNHER. *P. II. Obs. 432.* profuit tamen, inter illustriores cum maxime, ad majorem dotis securitatem, & de versione dotis in utilitatem feudi, status provinciales testentur, atque in testimonio desuper dato specifice exprimatur, quod pecunia illata versa sit, quam cautelam suppeditat HERTIUS *Conf. & Resp. Tom. I. resp. 575.* Sola enim confessio mariti concurrentibus agnatis onera inferre non potest CARPZ. *P. II. Const. 44. def. 10. & Resp. LVI. resp. 56.* Contra si de illatione bonorum liqueat, Vasallus libere, & ignorante quoque domino, non consentientibus agnatis, & simultanee investitis, dotalitium assignare potest, LINCKER *Cent. 12. Dec. 1113.* STRYK. *Usus Pand. Moder. tit. de jur. dot. §. 21.* RICHTER. *de Successim. ab intest. Sect. IV. m. 8. n. 14.* ita tamen, si forte legitimus duplicatarum usurarum modus non observetur, distinguendum sit, an pater, qui liberos successores habet, concesserit dotalitium, an vero agnatus? Casu priore, si filios, ad facta paterna præstanda, tanquam hæredes obligatos, respicias, tenet dotalitium, licet vel maxime debitam quantitatem excedat. LYNCKER. *Dec. 1250.* HENEL. *de dotal. C. 6 §. 5.* Si vero agnati & simultanee investiti ad feudi Successionem perveniunt, illi dispositionem talem, quoad legitimi, & debiti modi excessum agnoscere non tenentur, prout pluribus persequitur BERLICH *P. II. Conclus. 50. n. 36. 38.* CARPZ *L. VI. resp. 5. P. II. Const. 42. dif. 5.* Prudentius interim, & ad evitandas etiam ambages melius est, consensum domini, & agnatorum adhibere, quem dominus non prius impertire solet, monente MOLLERO *ad Const. El. P. II. Const. 42. n. 11.* quam supplicans consensum agnatorum simultanee investitorum demonstraverit. Interdum, & de consuetudine consensus domini adhibendus est, quod de Marchia testatur SCHEPLIZ *ad Constit. Marchic. P. III. tit. 11. §. 11.* quo obtento, excluso etiam agnato-

gnatorum consensu, dotalitium constitutum subsistit SCHEPLIZ *l. c.* §. *12. n. 3.* STRYCK. *de Success. ab intest. Cap. V.* §. 12. quod dubio procul, nexu vasallitico in Marchia electorali, per superiora, nunc sublato, cessat.

CAPUT XIII.

DE

DIVISIONE FEUDORUM, QUÆ SIT, NON ACCEDENTE DOMINI DIRECTI ET AGNATORUM SIMULTANEE INVESTITORUM CONSENSU.

§. I.

Divisio regulariter & in feudis permissa.

Liberum quoque quoddam disponendi arbitrium in feudo, citra senioris & agnatorum consensum, vasallis relictum est circa divisionem, ideoque quid hic specialiter notandum venit, exponendum est. Quemadmodum vero nemo, quoad allodialia in communione permanere cogitur, per *l. 65. §. 2. π. pro socio.* ita nec vasallus, ratione feudi, in ea subsistere compellitur, & ad divisionem ejus recte provocat *II. F. 55.* §. *1.* SCHARF. *Cent. II. Cons. 3. n. 8.* maxime, si alteri portio æquipollens in aliis bonis dividendis, vel in pecunia, & pretio solvendo adsignari possit FRANTZKIUS *de Laudem. Cap. XIX. n. 23. p. 411.* Idem jure feudali Saxonico Cap. 32. permissum legitur verb. Ein Herr mag vielen Brüdern ein Guth und Lehn leihen, ob sie es mit der gesamten Hand empfahen, und gleiche Gewehr davon haben: wolten sie sich aber hernach theilen mit dem Guthe, sie mögen es wohl thun unter sich, ohne des Herrn Vorwissen, wie sie wollen. Divisione semel facta, agnati & simultanee investiti nova investitura in parte alterius divisa, nisi jus succedendi perdere velint, exceptis iis, qui coinvestiti sunt. STRYK. *Ex. Jur. Feud. Cap. XII. qu. 44.*

§. II.

An etiam feuda regalia absque imperatoris, & agnatorum consensu dividi possint?

Dubio caret, vasallum feudum absque domini consensu dividere posse, si de ignobilioribus quæstio sit, regalia enim, & majora, haud quaquam, quoad ipsam feudi proprietatem divisibilia esse communis est doctorum sententia, eo quod dignitas iisdem cohærens, per divisionem, & feudi diminutionem vilescat RHEINKING *de Reg. Sec. & Eccles. L. I. Class. IV. Cap. 17. n. 20. seq.* SCHVREF. *Cent. I. Consf. 18.* KLOCKIUS *de ærar. L. II. cap. 37. n. 1. seq.* Ita habet textus *II. Feud. 55. §. 1. Præterea Ducatus, Marchia, comitatus, de cætero non dividatur, ita ut omnes, qui partem feudi habent jam divisi, vel dividendi fidelitatem faciant.* Per divisionem quippe, & subdivisionem, feudum, etiam magnum, redigitur in nihilum FABER *Dec. 210. n. 42. & Dec. 147. n. 22.* Quod Germaniæ feuda speciatim attinet, GOLDASTUS juxta cum aliis *L. II. Cap. 15. de Majoratu* credit, divisionem in feudis, regalem dignitatem annexam habentibus, & majoribus, antiquissimis temporibus numquam obtinuisse, quamvis, quod & in dominiis, & comitatibus quis cum alio in communione vivere non cogatur, passim alii doceant, ad praxin imperii eo nomine provocantes, quorum sunt GAIL. *L. II. obs. 153. n. 2.* TABOR. *Dec. 57. n. 44. seqq.* ITTER. *de feud. imper. Cap. 13. §. 20.* LAUTERBACH *de Condominio territoriali Cap. X. n. 13.* Quod restringendum putem ad illa feuda regalia, in quibus ab antiquo divisio obtinuit, & quæ commodam divisionem recipiunt, quo casu respectu quidem eorum, quorum interest, haud vero aliorum, qui eam detrectant, subsistere potest COTHMANN. *L. I. resp. 50. n. 47. seq. & resp. 53. c. n. 6.* ubi dicit. *Quod dicitur rem semel divisam semper esse divisibilem procedere, & verum esse, si natura & conditio ferat, ac secus esse, si ducatus divisionem ulteriorem in duas partes æquales non admittat.* Requirit & præter alia COTHMANNUS ad divisionem territorii consensum subditorum *III. Resp. I. n. 32. 38. & IV. resp. 3. n. 58. & 177.* Jure feudali Saxonico, quando vasallus, relictis pluribus liberis mortuus erat, unus saltem de feudo investiebatur. Textus cit. juris feudalis Saxonici a SCHILTERO *in Commentar. ad Jus Feud. Allemann. Cap. 60. & 61. §. II.* allegatus

Jure feudali Saxonico unus saltem in feudo succedebat.

gatus ita refert. *Dominus etiam non tenetur plures investire fratres, nisi tantum unicum inter omnes.* Convenit cum hac dispositio *juris suevici L. I. Cap. 20. §. 4.* Man mag kein Fürsten-Amt zweien Mannen nicht geleihen. Geschicht es aber, jedweder mag mit Recht darvon nicht ein Fürst geseyn, noch geheissen. Also mag man weder Marggrafschafft, noch Pfaltz-Grafschafft, noch Grafschafft, noch Land-Grafschafft theilen, und werden die getheilet, so haben sie ihren Nahmen verlohren. Similiter & *Aurea bulla Cap. XXV.* divisio feudorum regalium haud obscure prohibita, atque constitutio Friderici imperatoris tacite repetita censetur, quando ibidem argumentum a minori ad majus petitur, ita, ut licet dispositio de Electoratibus saltim mentionem faciat, tamen eadem, ob antecedentia, & rationis identitatem, ad omnia feuda imperii majora pertinere debeat. Verba citat. aur. bull. sunt sequentia: *Si Cæteros principatus congruit in sua integritate servari, ut corroboretur justitia, & subjecti fideles pace gaudeant & quiete, multo magis magnifici principatus, dominia honorii & jura electorum principum debent illæsa servari etc: primogenitus filius succedat in eis, sibique soli jus ac dominium competat etc:* Quamvis autem feuda imperii regalia, per allegatos textus, regulariter dividi non possunt, non tamen ad jus primogenituræ, aut senioratus ex eo mea sententia argumentari licet. Potest nimirum & feudum regale a pluribus pro indiviso possideri, pluresque de uno, eodemque feudo a domino pro indiviso investiri, de quo quam plurima feudorum germaniæ exempla testantur. Regulariter in feudo regali omnes pro indiviso succedunt, nisi speciale quid per legem imperii publicam, per pacta familiæ aut testamenta legitime confecta introductum probetur: Vid. infra Capitis ultimi §. 11.

Ab indivisibilitate feudi non valet argumentum ad jus primogenituræ.

CAPVT XIV.

DE

REFVTATIONE FEVDI, VASALLIS CITRA DOMINI ET AGNATORVM CONSENSVM PERMISSA.

Refutari potest feudum a vasallo.

Exceptiones.

AN vasallus, invito domino, ab agnatis, feudum refutare possit? nunc inquirendum. Dubitatione exemtum esse putamus, si id tempestive saltem, & absque fraudulenta intentione fiat. Quodsi v. g. bello forte, aliaque necessitate ingruente facere velit, illud haud procedit. Similiter si vasallus pro se, & hæredibus, jure refutandi renunciavit, vel feudum ita concessum ut refutari non possit, neque id vasallo facere licebit HORN. *Jur. Feud. Cap. XXII. §. 6.* Distinguendi autem veniunt casus. Vel enim refutatio fit feudi domino directo, si noviter sit acquisitum secundum jus feudale longobardicum tollitur successio agnatorum, filiorumque, quibus validum & radicatum jus succedendi nondum quæsitum est. Jure feudali Saxonico, ob jus simultaneæ investituræ a primo acquisitionis die in feudo reale, non æque si feudum fuit paternum, mortuo refutanti; illud restituendum venit legitimo successori *II. F. 26. §. Titius filios masc. 2. F. 39.* RITTERSHVSIVS *Part. feudal. LII. Cap. 2. p. 307. seqq.* Si agnatis forsan remotioribus refutetur, proxime successuri sibi vindicant jus protimiseos, si pretium intervenerit, vivo adhuc refutante, ejusque hæredibus KOEPPEN *Obs. feudal. VIII. n. 49.* ROSENTHAL *Cap. IX. conclus. 52. n. 14.* mortuo vero eo, jus retractus, actionemque feudi revocatoriam exinde redundantem. Quod si proximior feudum non revocat, vel quod ob renuntiationem non possit, vel etiam nolit, sequens illud, casu priore, revocare prius haud poterit, quam successio ei fuerit delata, secundo casu, si feudum domino refutatum in favorem ejusdem revocare nolit, iterum non admittitur, delata nondum successione,

ne subsequens agnatus si vero feudum repudiet admittendus erit, *Conf.* TEXTOR *Disput. de refutat. Feud. Cap. III.* §. 4. Extraneæ personæ feudum penitus refutari nequit; id quod simplicem feudi alienationem involveret, trito jure feudorum improbatam, & privationem feudi inducentem perpetuam, si feudum novum, temporariam, si agnati restent successores. Filiis autem & agnatis proximioribus valide confertur, & Dominus investituram hisce nunquam denegare potest TEXTOR *l. c. Cap. III.* §. 7.

CAPVT XV.

DE

CONCESSIONE FEVDI IN EMPHYTEVSIN, NEC NON DE JVRE LOCANDI VASALLORVM SINE DOMINI AGNATORVM ET SIMVLTANEE INVESTITORVM CONSENSV.

§. I.

Dispiciamus de concessione feudi in emphyteusin, quæ inter alia, queis similitudinem quandam cum feudis arguit hoc quoque commune habet, ut non, nisi præcedente emphyteuticarii notitia prædia emphyteutica alienari, & jure cumprimis Saxonico, absque domini directi consensu nequidem hypothecæ dari possint CARPZ. *P. II. Const.* 23. *def.* 22. RAVCHBAR. *P. I. qu.* 24. *n.* 34. BERLICH. *P. II. Conclus.* 29. *n.* 72. licet dominium directum valide transferatur, absque emphyteutæ consensu, quo insignis simul inter emphyteuticaria, & bona feudalia deprehenditur diversitas, de quibus alii. Emphyteusin ipsam quod attinet, inter omnes ex juris civilis doctrina constat, emphyteutam a concedente accipere dominium utile, cum facultate illud rursus alienandi, donandi, & ad hæredes quorumque transmittendi, *L. fin. Cod. Si ager vectigal. fit* §. 3. *Instit. locat. Novell.* 2. *Cap.* 3. WERNHER. *P. VII.* *An vasallus feudum in emphyteusin dare possit?*

P. VII. obſ. 143. Si igitur vaſallus fundum feudalem concedere velit in emphyteuſin, omne jus ipſi in feudo competens, experire, & pleniorem ſane diſponendi poteſtatem tribuere videtur quam ſibimet ipſi adſcribere potuit, eo quod longe uberius diſponendi arbitrium ſibi vindicent emphyteutæ quam vaſalli. Quoad emphyteuſin feudalem diſtinguit THOMASIVS *diſp. de probibit. feud. alienat. cauſ.* §. 32, an contractus emphyteuticarius celebretur cum ingenuis, an vero cum ruſticis? poſteriori ſaltem caſu: quod vaſallorum ſervitia, hac per libellum & emphyteuſin datione, non amittantur, licitam eſſe conceſſionem credit. Noſtram quod attinet ſententiam, quando vaſallum abſque domini conſenſu feudum in emphyteuſin concedere poſſe dicimus, intelligimus hoc vel de parte tantum ejusdem ad certum aliquod tempus *add.* STRYK. *Ex. Jur. feud. Cap. XIX. qu.* 4. WERNHER. *P. VII. obſ.* 141. vel ſi totum feudum in emphyteuſin concedatur, ſupponendum, argumenta emphyteuſeos rerum allodialium, per omnia ad emphyteuſin bonorum feudalium non quadrare, cum v. g. omnis alienandi facultas in emphyteuſi allodiali de jure licita, in feudali ceſſare, ac deficiente vaſallo de bonis ſuis, neque canone ad ſervitia ſufficiente, emphyteuta præſtandis feudi oneribus adſtringi debeat, alias ex denegatorum ſervitiorum cauſa vindicabitur feudum STRYK. *l. c.* VULTEJUS. *L. I. Cap. X. n.* 64. Neque tamen conceſſio feudi in emphyteuſin hac lege facta operatur in præjudicium agnatorum, vel domini, quorum ſic conditio non modo non redditur deterior, ſed melior potius, emphyteuta ad meliorandum feudum adſtricto, & ſucceſſione ad agnatos dominumve devoluta, emphyteuſi ſtare, niſi conſentientes, vel propter diverſitatem feudorum, regulariter haud tenentur WERNHER. *Obſ. P. VII. obſ.* 142. Sunt tamen & certa jura, quæ communi fere Germaniæ conſvetudine, & in emphyteuſin perpetuam, ſine ſpeciali domini directi, & agnatorum conſenſu dantur, quoniam exemplo eſt jus metallorum, de quo pluribus agit HORN. *Jur. Feud. Cap. IX.* §. 28.

§. II.

An locare poſſit feudum vaſallus. Jus locandi feudum vaſallis, inconſulto domino, & agnatis, competere, nemo facile ambiget, cum locatio, etiam ad longius tempus, quam ipſe & hæredes vivunt concedere haud poteſt.

poteſt; ita in aprico eſt, morte vaſalli locantis finiri locationem, neque ſucceſſorem ad præſtandum id, quod intereſt, adſtringi poſſe, niſi ſpecialiter in locationem conſenſerit; quinimo, ſi vaſallus alium de feudo ſubinfeudaverit, ſubinfeudatum locatione, a vaſallo ſub infeudante facta, ſtare non teneri, putamus, eo quod ſubinfeudatio videatur magis titulus ſingularis, quam univerſalis, vaſallumque non magis, quam alium ſucceſſorem ſingularem devinctum credimus, ad ſervandum locatoris contractum, quamvis hic ad indemnitatem, & intereſſe præſtandum, conductori ſit adſtrictus. Idem obtinet, ſi vaſallus feudum refutaverit, vel felonia commiſſa, feudo privetur. *Pluribus vid.* SCHVBARTH. *Diſp. de jure locandi vaſallor.*

CAPVT XVI.

DE

TESTAMENTARIA VASALLORVM DISPOSITIONE CIRCA FEVDVM ABSQVE DOMINI DIRECTI AGNATORVM ET SIMVLTANEE INVESTITORVM CONSENSU.

§. I.

Reliquum eſt, ut penitius in tam vaſto doctorum, in contrarias ſententias diſtractorum oceano inquiramus, quatenus arbitrium, transferendi jus vaſalliticum per ultimam voluntatem vaſallis, abſque domini ſuperioris conſenſu permittendum ſit, regulariter enim teſtamenti factio, tanquam ſpecies alienationis *L. 16. π. de teſtam. milit. L. 1. §. 1. π. Si quid in fraud. patr.* in feudo non procedit, accedente niſi conſenſu eorum, de quorum præjudicio agitur *2. F. 55. & 52.* Varia autem ratione dominus teſtamentum bona feudalia concernens adprobaſſe cenſetur, vel *Quomodo dominus di-*

 enim

rectus testamentum vasalli approbasse censeatur?

enim expressam demonstrat consentiendi voluntatem, cum privilegia alienandi, aut speciatim testandi, & feuda hæreditaria concedit ANTON. *Disput. feud. Disp. V.* §. 8. vel tacitus exinde haud immerito probatur domini consensus, si præsens & tacens, testamentum fieri, dissensum, vel testaturo, vel si hunc turbare nolit, coram aliis non declaraverit HORN. *de testamentar. patr. circa feudum dispos. Cap. XIV.* §. 11. Porro, quando a vasallo testaturo ad confirmandum testamentum, tanquam dominus directus imploratur, vel tacuerit, & testamentum receperit, vel etiam confirmationem expressam impertierit, quæ licet consensum regulariter haud inferat, TITIUS *Jure priv. L. XI. Cap. X.* §. 12. Si tamen ex curia feudali vel sola, vel cum justitiæ administratoria combinata proficiscatur, eundem inducit certissimum HORN. *Jur. feud. Cap. XIV.* §. 2. Quod cum in superioribus jam prosecuti simus, diutius illi immorari supersedemus, hoc argumentum impræsentiarum explanaturi, quinam potissimus sit, jure feudorum communi, testamentorum, de rebus feudalibus confectorum effectus, deficiente imprimis domini & agnatorum consensu? Diversa feudorum ratio uniformem non recipit controversiæ decisionem, ideoque distincta feudorum indoles hoc loco perpendenda erit. Feuda paterna, atque antiqua, nulli vasallorum dispositioni, nequidem quoad liberos, subjacere, quam plurimi credunt. SCHRADER *P. VII. Cap. 2.* VULTEJ. *L. 1. Cap. 9. n. 79.* etiamsi dominus directus consenserit, nisi filii patris hæredes existant, CARPZ. *L. VI. resp. 15.* quia ex persona magis propria, atque jure ipsis a primo acquirente quæsito feudi successionem habent, quorum privatio a vasalli descendentis arbitrio haudquaquam dependet; adeoque ut nec vasallus inæquales feudi partes, vel totum uni adscripta reliquis certa pecuniæ summa adsignare possit, per textum *1. F. VIII. add.* KNIPSCHILD *de Fideicom. Cap. V. n. 109.* CARPZ. *Disput. feud. V. th. 16.* ROSENTHAL. *Cap. 7. conclus. 3.* Cui quidem sententiæ subscribere non dubito, si consensu domini non adhibito, in testamento feudi pars alienata fuerit. *1. F. VIII.* Alias enim, cum filiorum intuitu omnia feuda habeantur hæreditario mixta, nullaque bonorum separatio institui queat *2. F. 45.* WERNHER. *P. II. obs. 451.* filii voluntati patris, si maxime domini consensus accesserit, se submittere tenentur, modo filii ultra legitimam hæredes instituti fuerint. Quod si hæreditate allodiali exclusi

An de feudo antiquo testari liceat vasallo?

clusi, & salva legitima de reliqua hæreditate nihil prorsus percipiant, vel ei renuncient, vivo adhuc patre, nec defuncti patris debita exsolvere, nec ultimam voluntatem servare teneri puto. Vid. MYNSING. *Cent. VI. obs. 66.* STRVV. *Jur. feud. Cap. IX. th. 12 n. 8.* WERNHER. *P. VII. obs. 52.* Ita JCti, testante LYNCKERO ad STRVV. *l. c. th. XI.* in scabinatibus Saxonicis (si Electoratum excipias CARPZ. *L. VI. resp. 116.*) respondere solent in das Reich: daß ein Sohn vermöge der Rechten, so im Käyßerl. Cammer Gericht üblich, sich seiner väterlichen Verlassenschafft entschlagen, und nichts destoweniger sein altväterlich Stamlehn behalten möge, darbey er die väterlichen Schulden abzutragen unverbunden.

§. II.

Principes de feudis imperii antiquis regulariter per ultimam voluntatem disponere non possunt.

Hæc & ad feuda imperii regalia, quorum possessores alias laxiore disponendi potestate gaudere dicuntur, applicanda veniunt, ut neque Status Imperii in feudo antiquo, in præjudicium liberorum, nequidem accedente confirmatione Cæsaris, disponere, & jus primogenituræ ubi hoc ab antiquo, obtinuit non, in præjudicium postgenitorum, introducere queant. Habent nimirum secundo geniti jus succedendi, ex primi acquirentis literis investituræ, jam quæsitum, quod, iis invitis, per paternam dispositionem extorqueri, & per confirmationem cæsaream auferri nequit. RVMEL. *ad aur. bull. P. III. disp. 5. o. 8. & ibid.* MYL. ab EHRENBACH. *ad d. l.* COTHMANN. *Vol. I. resp. 9. n. 117. & Vol. II. Resp. 94. n. 5.* Si vero utilitas publica requirat successionem primogeniti, reliquis exclusis, patrem id facere posse, ambigendum non est, modo, præter consensum imperatoris, adhibeat consensum reliquorum, quorum interest, atque introducatur jus primogenituræ, liberis vel nondum natis, vel iis consentientibus, qualem dispositionem post geniti & ordines provinciæ juramento confirment. *Vid.* DIETER. *ad Aur. Bull tit. 24.* REIGER. *Thesaur. Jur. Voc. primogenit.* Quibus addunt aliqui consensum statuum imperii RHETIVS *Inst. jur. publ. L. II. tit. 26. §. 3.* MYLER AB EHRENBACH *de Princip. imper. P. I. C. 21. §. 8.* De quibus omnibus videri possunt, qui de juris primogenituræ legitima introductione scriptis peculiaribus egerunt, quos

inter est Dn. LUDOLFF. *Tract. de introductione juris Primogenitura cum ibid. citat.*

§. III.

Licet testari de feudo mere hæreditario.

De feudis non hæreditariis supra disserentes, plenissimam tam inter vivos, quam mortis causa disponendi facultatem, absque domini directi, & agnatorum consensu, vasallis attribuimus. Hæc enim, excepta fidelitate vasallitica, in comparationem allodiorum veniunt, quorum instar inter vivos pariter, ac mortis causa, in extraneos quoque, immo & in fœminas alienantur GAIL. *L. II. obs. 154.* LYNCKER. *Annot. ad* STRUV. *Cap. IX. th. 12. n. 2.* WURMSER. *de feud. improp. S. V. d. 3. n. 99.* LUDWELL. *Syn. Jur. feud. Cap. IV. p. 91.* HARTM. PISTORIS *L. II. qu. 1. n. 61.* Restat feudum novum, feudum ex pacto & providentia, nec non feudum, ratione successionis, hæreditarium quod germanice per verba Erblehn, Erbmanlehn concessum intelligitur BERGER. *El. Discept. for. p. 1331.* Prioris generis feuda liberæ vasallorum dispositioni obnoxia esse, ex hoc præsertim videtur, quod jus ex pacto primi investiti quæsitum dubium plane atque incertum adhuc sit, solamque quasi vasalli primi respiciat benevolentiam BERLICH. P. *II. Conclus. 55. n. 85.* cui liberum, ipsis non consentientibus, per testamentum, adhibito tamen domini consensu, in alios transferre HORN. *Jur. Feud. Cap. XIV.* §. *9.* Nisi feudum novum filiorum intuitu concessum, vel filii speciatim & agnati de feudo simul fuerint investiti, quibus casibus, jure proprio succedentes, nullum primo acquirenti beneficium ferunt acceptum, adeoque nec ipsis, nequidem consentiente domino præjudicari potest HORN. *Jur. Feud. in append. II. Resp. 9.* Pertinent huc verba constit. Sax. in ed. IV. sequentia: Dem Sohn soll die revocation nicht gestattet werden, es wäre denn solches neue Lehn nicht allein dem Vater, sondern auch dem Sohn durch den Lehn-Herrn verleihen, also daß des Sohnes Nahmen specifice in dem Lehn-Brieff ausgedrucket.

In feudo novo, absque consensu agnatorum cum consensu tamen domini.

Limitatur.

§. IV.

Quid juris in feudo ra-

Quod feudum ratione successionis hæreditarium attinet, Hornius consensum domini directi, circa dispositionem vasalli testa-

teſtamentariam requirit, *in allegata Diſput. de teſtament. patr. circa feud. diſpoſ. §. 10.* ſive inter liberos diſponat vaſallus, vel extraneum hæredem inſtituat, ex rationibus, quod feudum tale, excepto ſolo ſuccedendi modo allodiali, vere proprium ſit, neque unquam vaſallum de eo teſtandi copiam nactum eſſe. Verum enim vero ad ipſum quod ſcilicet ſucceſſor feudum, tanquam hæres obtineat, eſt, quod per indirectum defuncti vaſalli diſpoſitionem teſtamentariam convalidat. Quando agnatus de feudo ratione ſucceſſionis hæreditario diſponit, alicui, etiam extraneo, quid legando, tale teſtamentum directo quidem validitatem non conſequitur, dum omnino hæreditaria ſuccedendi ratio, alienandi non ſtatim inferat licentiam, nihilominus tamen omnes ſucceſſores, tanquam hæreditario jure feudum obtinentes, onera a defuncto feudo impoſita, agnoſcere coguntur. STRUV. *Jur. feud. Cap. IX. §. 12. n. 2.* ZASIUS. *de feud. P. VIII. n. 64.* SCHRADER. *P. VII. C. 2. n. 44.* Prona exinde fluit conſequentia, quod pater vel agnatus uxori, in ejusmodi feudis, ſalvis ſervitiis feudalibus, ſalvaque liberorum legitima, uſumfructum, & dotalitium, etiam ultra quantitatem ſolitam, conſtituere poſſit, quod ratione filiorum hæredes patris exiſtentium indiſtincte procedit Dn. LYNCKER. *Dec. 793. & Dec. 1206.* WERNHER. *P. II. obſ. 451.* TITIUS *Specim. jur. publ. L. IV. Cap. IV. §. 42.* qui talia & in feudis imperii majoribus, hæreditaria qualitate gaudentibus, obtinere adfirmat. Quoad fructus & meliorationes feudales in omni feudorum ſpecie validam eſſe defuncti vaſalli diſpoſitionem, etiam abſque domini & agnatorum conſenſu, nemo eſt, qui dubitat.

tione ſucceſſionis hæreditario?

§. V.

Hæc de jure feudorum communi & Longobardico. Quod autem jura feudorum Saxonica ſpeciatim attinet, illa uti diverſis tractationis hujus locis monitum jam eſt, plane ſunt diſtincta a veterum Longobardorum conſuetudinibus, ſi paſſum ſuccedendi, præſtandorumque defuncti factorum reſpicere velimus; conſtat enim nullum jus ab acquirente feudum ad agnatos transferri, neque hos in feudis ſuccedere, niſi agnati, aliique, quos in feudum ſuccedere cupit, & intra ſexennium in Electoratu domino præſentavit vaſallus *Receſſ.*

An jure Saxonico vaſallo de feudo teſtari liceat?

ceff. Provinc. d. a. 1700. §. 24. HORN. *Jur. Feud. Cap. XII.* §. 28. secum simultanee investiri curaverit, quæ investitura hunc habet effectum, ut, cum jure plane proprio, ac reali, non secus, ac si successionem ex tunc obtinuissent, agnati ad successionis jura adspirent KNICHEN. *de Vestit. pact. p.* 303. *n.* 83. vasallus neque inter vivos, neque per ultimam voluntatem, de feudo, consentiente etiam domino, ipsis invitis disponere possit. Idem quoque respectu filiorum obtinet, qui cum patre simul & nominatim sunt investiti, citra quorum consensum pater, in nullo feudorum genere, iniquam ipsis inferre potest conditionem. Neque minus filius, quamvis in electoratu repudiata successione allodiali, feudum patris acquirere non possit, sed utrumque aut adire aut omittere debeat. *Edict. Torgav. tit.* Welchergestalt die *agnaten* §. so viel erstlich die *agnaten. etc. P. II. Constit.* 47. *Dec. El.* 68. PHILIPPI *ad eand.* cum tamen nominatim, cum patre, de feudo est investitus, repudiata hæreditate allodiali, feudum, tanquam ante patris mortem jam quæsitum, recte retinet. Sächsis. Land-Recht *L. II. art.* 21. *in fin.* CARPZ. *P. II. Constit.* 47. *def.* 5. RIVIN. *ad Ord. Proceff. Tit. XL. En.* 5. Nec non existens hæres in allodio, actionem feudi revocatoriam valide intentat, & pignoris impositi reluitionem denegat, quamvis quoad allodii vires tanquam hæres teneatur. Conf. das Torgauische Ausschreiben d. a. 1583. Welcher gestalt die agnaten §. es sollen auch rc. (Dissentit certo modo Dn. VVERNHER. *P. IX. obs.* 188 asserens, filium cum patre simul investitum eo saltem casu feudum alienatum revocare posse, si hæreditate allodiali abstineat.) Ex quo adparet, quod agnati nec in feudo, ratione successionis hæreditario, dispositione defuncti stare teneantur, quamvis domini consensus accesserit STRUV. *Jur. Feud. Cap. IX.* §. 12. CARPZ. *l. c. def. fin.* PHILIPPI *ad Dec. El.* 68. *obs.* 1. Quod autem feuda ratione alienationis impropria, v. g. mere hæreditaria, consvetudine, lege & privilegio alienabilia respicit, merito cum TITIO *Jur. Priv. L. XII. Cap. II. n.* 21. & *Cap. XVII.* §. 3. credendum est, allegatum edictum Torgav. d. a. 1583. Welchergestalt die agnaten, de iis intelligendum haud esse, ut adeo jus simultaneæ investituræ, in ejusmodi feudis

feudis etiam Saxonum jure, tam firmum non fit, ut possessores de iisdem disponere non possent. Quod eo magis obtinet in feudis Lusatiæ, ubi jus simultaneæ investituræ agnatis vasalli, ipso jure, neque ad septimum gradum competens, alienationem feudi, ex privilegiis cæsareis concessum, non impedit. SCHILTER. *de Simultan. Investitur. Cap. II. in fin. trad. I.* In regula autem, & directo, respectu simultanee investitorum, nulla dispositio testamentaria, ex Saxonum legibus subsistit, sed quando ad effectum deducitur, hoc exinde fit, quod hæreditatem defuncti allodialem aut agnati simul adierint, aut filii specialiter, & nominatim de feudo simul cum patre non investiti fuerint, & hinc utramque successionem amplecti necessum habuerint. Torgauisch Ausschreiben *l. c. P. II. Const. 47. Conf.* Sächsis. Land-Recht. L. I art. 14.

FINIS.

